Constituziones i Estatulos

del

Colegio maior de Sta. Cruz

de la

Cindad de Valladolid

Ano de 1603



6446/D

VALLADOLID

GRP. 5/53

W.
Spain
6 June 03

22. D. 5034

VALLADOLID

ab anno D. 1693

CONSTITVTIONES

COLLEGII SANCTÆ CRVCIS

Oppidi Valliſoletani quod conſtruxit, & à ſolo erexit Petrus de Mendoça, magnus quondam Hiſpaniarum Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, Epiſcopus Seguntinus, & Abbas Collegiatæ Eccleſiæ eiuſdem oppidi Valliſoleti.



Valliſoleti.

Apud Andræam de Merchan Typpographum, Anno Domini M. DCIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PETRVS DE MENDOZA miſeratione diuina tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis Hiſpaniæ,ac Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, Hiſpaniarum Primas,& regnorũ Caſtellæ,maior Cancellarius,Epiſcopus Seguntinus,Abbas Collegialis Eccleſiæ oppidi Valleolit.¶ Vniuerſis Collegialibus Collegij ſanctæ Crucis Valliſoletan. Salutem. Cum luce clarius compertum habeamus,nihil in rebus humanis diuturnum eſſe,aut diutius conſeruari poſſe,his profecto , quibus ratio diuina pręeſt,quę proculdubio ſempiterna fore iudicamus libenter ſtudemus:id tantum æternum, & immortale futurum cenſentes,quod á diuina gratia ſit profectum , obidq; prompto animo,cogitationes & actiones noſtras omnes in Deum optimum,maximum,qui incœptis noſtris aſpiret referimus,Cupientes igitur terrena fœlicæ cõmertio in cęleſtia commutare,& pro huius vitæ breuitate monumentum aëre perennius , quod nulla poſſit vetuſtate deleri, nobis in æterna collocare gloria,ſæpe numero nobiſcum verſati ſumus,quid tanto benefactori pro beneficijs , & honoribus, quibus ab eo in hoc ſeculo honorati ſumus inter alia præcipuum oblaturi eſſemus.Cumq;per multa ęgregia occurrẽt, deq;principatu inter ſe certarent , litterarum ſcientiam ,& ſtudium bonarum artium quo præclarius eſt nihil , cæteris ante poſuimus,nihil enim ęque morabile, aut Deo gratum ſimilique fore exiſtimamus, quam ipſi ſapientiæ, qui Deus eſt,proprius accedere,in eo ipſo homines hominibus præſtare,in quo homines cæteris hominibus præſtamus, id circo ad laudem & gloriam omnipotentis Dei , & beatiſsimæ virginis eius matris,& communem omnium vtilitatem , & eorum præcipue , qui licet ingenio præditi , & bonarum artium ſtudioſi ſint,ob inopiam tamen,& tenues facultates literis incumbere nequeunt,quando aut facile emergunt, quorum virtutibus obſtat res anguſta domi, iſtud noſtrum Collegium,hoc eſt,aſilum pauperum ſcholarium in ipſo no

bili oppido Valiſoletano prope dictam noſtram Eccleſiam maiorem ex ſolo ereximus, & edificauimus, & ſub inuocatione ſanctæ Crucis, qui titulus noſtri Cardinalatus exiſtit, decorauimus; quod cum iam penè abſolutum Collegialibuſque, & alijs miniſtris habitatum cernamus, non minus illud ad perpetuam eius conſeruationem diuinis, & humanis legibus, & ſtatutis muniendum putauimus, quam reddi tibus edificijs, libris, & alijs ornamentis, & bonis ad vitam & ſuſtentationem Collegialium ibi degentium muniuerimus. Itaque poſteritati proſpicientes ne ipſum Collegium diuturnitate temporis corruat, ita enim natura comparatũ, vt nihil vnquam eodem ſtatu permanſurum ſit, ſed illico regreſſurum, quod non progrediatur, habita á ſede Appoſtolica ſpeciali facultate, qua præcipue muniti ſumus conſtitutiones inferius ſcriptas in ipſo noſtro Collegio per vos omnes præſentes, & futuros ibidem pro tempore cõmorantes perpetuo teneri, & inuiolabiliter obſeruari decernimus, & ordinamus. Suſcipiat ergo vniuerſitas veſtra amantiſsimi Collegiales has noſtras conſtitutiones eiſq; in Collegio ad rationem vitæ melioris componendam vtatur, quod ſi vti cupimus, & ſperamus, ſponte amplectimini, facile fiet, vt & nos apud immortalem Dominum voti noſtri honeſtiſſimi compotes efficiamur, & vos veſtriq; poſteri apud Deũ, & homines non mediocrem fructum laborum veſtrorum cõſequamini.

De numero Collegialium. Conſtitutio prima.

STATVIMVS & ordinamus, quod in dicto noſtro Collegio habitent ſeptem & viginti ſtudentes, quorum ſex dent operam ſacræ Theologiæ, tredicim iure canonico, quorũ vnus ſit ſtationari', qui curã bibliothecę habeat. Alijs vero officijs omnino ſit immunis, nec Rector, nec Conſiliarius eligi poſſit, tres iuri Ciuili, duo autem medicinæ. Reliqui vero tres ſint presbyteri, & capellani dicti Collegij, qui Theologi, aut Canoniſtæ ſint: ſiue vnus

Theologus, & duo Canoniſtæ, ſiue vnus Canoniſta, & duo Theologi. Quorum autem prout ſorte euenerit, Miſſam in Capella Collegij quotidie celebret, & rerum ſacrarum curam gerat. Qui quidem Capellani in omnibus veri Collegiales exiſtant, propter reuerentiam tamen, & occupationé diuini cultus, cui aſsiduæ operam daturi ſunt, officijs Collegij ſe non intromittant, concluſiones tamen, vt moris eſt ſuſtentare poſsint, ſi velint, ſin autem non compellantur, electionibus vero tam Collegialium, quam familiarium cum cæteris interueniant, verum quia vbi non eſt caput, nullus ordo, nec ſine gubernatore ſocietas conſiſtere poteſt. Volumus & ſtatuimus ex dictorum ſeptem & viginti numero: vnus Rector & caput omnium exiſtat, & tres conſiliarij eligantur: quorum conſilio, induſtria, & diligentia Rector in adminiſtratione Collegij vtatur.

Ex qua natione futuri ſunt Collegiales. Secunda.

¶ITEM ordinamus, & ſtatuimus, quod futuri ſtudentes in dicto noſtro Collegio originem trahant ex Regnis Caſtellæ, & Legionis, & ſin probatæ vitæ, ſcientiæque idonei reperiantur. Volumus, quod de quolibet aliorum regnorum ſiue nationum exterarum admitti poſsit vnus modo idoneus repertus ſit, & ad inſtar eorum, qui ex dictis regno Caſtellę & Legionis eligendi fuerint, quod ſi contentio inde orta fuerit, maior pars eligétium valeat, ita quod maior pars intelligatur habito reſpectu ad numerum eligentium, & non ad totum Collegium. Si autem paria fuerint ſuffragia naturalis horum regnorum præferatur.

Qui recipiendi ſunt in Collegio. iij.

¶ITEM cum noſtræ intentionis fuerit paupertati ſcholarium conſulere. Volumus, & ordinamus, quod futuri ſcholares in dicto Collegio tanta paupertate afficiantur, quod

de patrimonio, aut de Eccleſiaſtico beneficio, aut ſimul de vtroque ſummam viginti & quinque florenorum auri de Aragonia monetæ currentis annuatim in redditibus non excedant: præterquam ſi ex cathedra ſtudij vel alia lectura aliquid vltra ſummam prædictam perciperent; & ſi ſcholares, vel eorum parentes tantis opibus abundent, vt veriſimiliter conſiderari poſsit, ipſum ex eius, vel parentũ redditibus ſufficienter in ſtudio ſuſtentari poſſe ipſum noſtrum Collegium tali ſcholari non pateat, ſuper quo iuramento, & conſcientię omnium Collegialium de præmiſsis informationem habentium ſtare debere cenſemus.

Iuramentum Collegialis ſi habet redditus. iiij.

¶ITEM ſtatuimus, quod quando aliquis Collegialis electus ſit, antequam admittatur, iuramentum præſtet ſe non habere in redditibus ex beneficio, ſeu patrimonio, vel ſimul ex vtroque prędictam ſummam viginti & quinque florenorum, & ſi tempore, quo in dicto noſtro Collegio futurus, eſt vltra dictam ſummam ſibi acceſsio fieret, Rectori, Conſiliarijs, & omnibus Collegialibus infra triduum, poſtquam ad eius notitiam peruenerit, manifeſtauit, quod ſi vltra dictam ſummam repertus fuerit habere, ipſo iure teneatur ad reſtitutionem Collegio faciendam.

Quod ex Valleoleto nullus Collegialis. v.

¶ITEM ad euitanda ſcandala, & incommoda, quæ inde oriri poſſent. Volumus, & ordinamus, quod nullus ex oppido Valliſoletano ortus ex quatuor leugis in circuito Collegialis dicti noſtri Collegij exiſtat.

De ætate Collegialis. & familiaris. vj.

¶ITEM, Quia rebus ſerijs maturitas ætatis eſt requirenda, ſtatuimus, & ordinamus, quod ſcholaris non agens vigeſimum primum annum completum, in Collegialem dicti noſtri Collegij non recipiatur. Familiaris vero decimumſeptimum compleat annum, antequã in Collegio valeat admitti.

Quot ex ciuitate vel dioceſi ſint Collegiales. vij.

¶ITEM ſtatuimus & ordinamus, quod ex ciuitate vna, & loco vnus: ex vna autem dioceſi duo tantum, excepta dioceſi Toletana, ex qua volumus, vt tres Collegiales ſimul in dicto noſtro Collegio recipiãtur, attento quod locus, in quo aliquis ortus fuerit, á loco originis alterius, quatuor leucis ſaltem diſtet.

Quod Collegiales intra quartum non ſint coniuncti. viij.

¶ITEM mandamus, & expreſſe prohibemus, quod conſanguinei, aut aliqua affinitate coniuncti intra quartum gradum in Collegiales ſimul admitti non poſsint.

Qui ſemel fuit Collegialis denuo non admittatur. ix.

¶ITEM decernimus, & expreſſe prohibemus, quod qui ſemel Collegialis extiterit denuo ad Collegium non admittatur.

De coniugatis. x.

¶ITEM, Quod nullus coniugatus, vel deſponſatus per verba de præſenti in dicto Collegio eſſe poſsit, & ſi aliquis coniugatus, vel deſponſatus per verba de præſenti fuerit receptus, ſit priuatus ipſo iure præbenda Collegij, & ſi fuerit occultum nihilominus teneãtur ad reſtitutionem expenſarũ illius temporis.

Quibus artibus prçditos decet eſſe Collegiales,& de forma opponendi. xj.

¶ITEM volumus,& ſtatuimus,quod admittẽdi in collegio ſi Theologię operam dare voluerint.Bachalarij ſint in ipſa Theologia,vel ſaltem in artibus,& per triennium ante bachalariatum in artibus, vel poſt Theologię vaccauerint. Qui vero iuri Canonico,vel Ciuili,in altero ipſorum iurium Bachalarius exiſtat,vel ſaltem per quadriennium in ea facultate ſtuduerit. Qui vero medicinæ,Bachalarius in medicina,vel ſaltem Bachalarius in artibus,& per triennium ante, vel poſt bachalariatam in facultate medicine operam dederit,niſi alicuius in dictis facultatibus ſufficientia, & idoneitas per ſuffragia omnium Collegialium nemine diſcrepante nota fuerit.Theologus vero librũ ſententiarum . Canoniſta Decretales.Legiſta Codicem.Medicus vero Auicenam, ſeu artem hipocratis ſaltem habere teneatur.Quodque admittendus intra tempus vacationis opponere Rectori ſe preſentare debeat,& de inde omnibus collegialibus ſimul,vel ſeparatim oppoſitionem ſuam notificare.

De vaccatura prębenda. xij.

¶ITEN quod a tempore vaccationis alicuius prębendę Rector intra quinque dies denunciet prębendam vacare,& ad Salmanticam mittat nuntium , qui in ſcholis maioribus edictum prębendam vacantem declarans in ipſis ianuis affigat,& á tempore denuntiationis infra viginti dies volentes ad talem prębendam ſe opponant,& infra alios decem fiat electio precedentibus ſaltem duobus tractatibus ſuper moribus,&alijs requirendis in noſtris cõſtitutionibus.Ita quod vaccatio vltra menſem non extẽdatur, præterquam ſi viſum fuerit omnibus Collegialibus,vel ſaltẽ duabus partibus eorum ternario numero diuidendis,ſuper quod conſciẽtias eorum oneramus,& ſi Rector fuerit negligens quilibet conſiliariorum,& illis negligentibus quilibet Collegialium hoc ſucceſsiue facere teneatur.

Quod nullus Collegialium votum ſuum alicui committere poſsit. xiij.

¶ INSVPER Statuimus, ne quiſpiam Collegialium ſi tempore electionis abſens fuerit, poſsit votum ſuum alteri cõmittere, niſi tempore oppoſitionis iam elapſo.

Quod nullus fauore alicuius aditum habere poſsit in Collegio. xiiij.

¶ ITEM Statuimus, ordinamus, quod nullus ſcholaris gratia, vel precibus, aut cuiuſpiam intercesſione, vel fauore, tã collegialium, quam aliorum exterorum in ipſo collegio admittatur, ſed habita tantum ratione ad Deum qui non eſt aceptor perſonarum. Quod ſi aliquis precibus gratia, aut fauore in Collegium aditum habere contẽderit: ipſo facto illa vice duntaxat ſit inhabilis ad dictum Collegium conſequendum, idem etiam in admittendis familiaribus dicti Collegij obſeruari, volumus, & cenſemus. Hoc inſuper prohibentes, quod nullus Collegialium poſſit aliquem admittendorum certiorem efficere, quod illi ad ſuum introitum in Collegiũ votum præſtabit, aut denegabit. Quod ſi ſecus fecerit arbitrio Rectoris puniatur.

De forma electionis Collegialium, & iuramentum ſuper ea præſtando. xv.

¶ ITEM volumus & ſtatuimus, quod in primis audita Miſſa Spiritu ſancti omnes Collegiales ſimul iuramentum præſtent, ſe neminem, niſi bonis moribus, & virtute prædictum doctrinæque aptum, nullo alio habito reſpectu, vel affectu admiſſurus, quo ſit præſtito, omnes Collegiales ſuffragia ſua ſecrete in ſcriptis tradant, quibus collectis, ſi contingerit vota eligentium ad duos, vel plures exendi: ille, cui maior pars ſuffragata fuerit, ſit Collegialis, ſi paria fuerint ſuffragia, Collegialis euadat, cui Rector, & Conſiliarij, vel Rector cum altero conſiliariorum adhæſerit. Si tamen tres

conſiliari adhæſerint, ille, cui ſua vota ſuffragauerint, collegialis euadat. Cæterum, quia ex mutuo collegialium colloquio nonnulla incommoda oriuntur electionibus, propter quod huiuſmodi electiones indebite præter ius, & ęquum celebrantur. Nos volentes huiuſmodi diſpendio remedio obuiari præſentis conſtitutionis tenore. Statuimus, & ordinamus, quod nullus collegialium in electionibus tratandis, vel faciendis quempiam alium precibus, ſubornationibus, vel alio quouis quæſito colore ad præſtãdum ſuffragium, ſeu votum, alicui opponenti inducat: nec ſuper huiuſmodi ſuffragio præſtito, vel præſtando collegiali, vel oppoſitori, aut cuicunque alteri perſonæ votum ſuum aperiet, ſiue referet. Quod ſi quiſquam huic noſtrę conſtitutioni contrauenerit, ſententiam excomunicationis incurrat, & ipſo facto tota portione collegij cum veſtibus, & diſtributionibus per vnum annum priuatus exiſtat, ita quod deinceps quicquid ex ipſo collegio, vel prębenda perceperit, reſtitutione ſubiaceat, & inſuper volumus hanc noſtram conſtitutionem ligare, & locũ habere in foro conſcientię, & hanc noſtram conſtitutionem ad electionem Rectoris in dicto collegio faciendam extendi volumus, & mandamus.

Quomodo, & quæ iuraturus ſit Collegiales. xvj.

¶ Item mandamus & ordinamus, quod Collegialis in Collegio admiſſus iuramentum pręſtet omnibus pręſentibus, quod ſuo Rectori in omnibus licitis, & honeſtis parebit, honorem, comoda, libertatem, & pręheminentias collegij tempore, quo in eo permanſerit, & quo ad vita ei comes fuerit, pro viribus procurabit, ac defendet, & ſi quid ſibi iniunctum fuerit, aut demandatum, minime recuſabit, ſed ſiue Rector, ſiue conſiliarius, ſiue procurator electus fuerit, aut orator, ſiue nũtius ad Romanam, ſiue Regias Curias, aut quouis alio deſtinatus fuerit, quantum in eo fuerit executurum. Conſtitutiones noſtras, prout in eis continetur, obſeruaturum nec alias iis noſtris contrarias, vel derogatorias, aut horum intentio-

ni alienas procuratorum,nec abſolutionem,ſiue relaxatio-nem huiuſmodi iuramenti petiturum, procuraturum, aut acceptaturũ,quod quidem iuramentum in forma,vt pręmiſſum eſt,præſtitum in communi protocolo cum ſubſcriptione trium Collegialiũ inſcribatur,& in arca Collegij ad perpetuam rei memoriam reponatur.

Tempus quo Collegiales in Collegio cõmmoraturi ſunt. xvij.

¶ ITEM volumus,& ordinamus,quod Collegiales prędicti in dicto noſtro Collegio octo annos continuos ab initio ſui ingreſſus computandos morentur,in quibus connumeretur tempus,quo abſentes fuerint ab ipſo Collegio,verum ſi quiſpiam Collegialium pro negotiis Collegij expediẽdis quocumque extra oppidum Vallis oletanum miſſus fuerit,totum id tempus,quo abfuerit,non cõputetur in prędictis octo annis,& ne in hoc fraus,& dolus interuenire poſſit,volumus quod tempus abſentiæ, & locus, quo ſcholaris pro negotiis Collegij abfuerit,& cauſa quare id factum eſt nomine proprio Rectoris pro tempore exiſtentis ſubſcribatur. Aliter vero huiuſmodi abſentia, pro non abſentia habeatur. Quo quidem tempore finito Collegiales in nomine Domini á Collegio expediti cenſeatur. Quorum loco alij,vt præmittitur,ſufficiantur, permittimus tamen quod ſi Capellani Collegiales ita probatæ vitæ,& integritate reperti fuerint,quod maxime vtilitati, & decori Collegij futuri ſunt. Liceat Rectori,& Collegialibus,vel maiori parti eorum cum ipſis Capellanis: vel eorum altero diſpenſare, vt vltra tempus prædictorum octo annorum tandiu, quandiu eis videbitur in Collegio poſsint morari,pro viſo,quod tempus aliorum octo annorum non excedat.

Quod ſi quis vltimo anno exitus electus fuerit in Rectorem, vel Conſiliarium officium exerceat. xviij.

¶ I T E M volumus,& mandamus,quod ſi cõtingerit Collegialem anno vltimo ſui exitus á Collegio in Rectorem,ſiue conſiliarium eligi,in ipſo Collegio permaneat vſque ad finem anni,quo electus fuerit,etiam ſi parum temporis ad finem ſui temporis relictum eſſet,& ipſo anno ſui officij finito,& ratione eius redita á Collegio abſolutus exiſtat.

De forma electionis Rectoris, & Conſiliariorum. xjx.

¶ I T E M volumus,& mandamus,quod in electione Rectoris,& Conſiliariorum ipſius Collegij tale temperamentum adhibeatur. Rector,& Cõſiliarij,& cæteri Collegiales in capella congregati audita prius Miſſa Spiritus ſancti ad electionẽ procedentes ad ſacra Dei Euangelia præſtabunt iuramentum,quod omni gratia,odio,vel fauore,aut maleuolentia,prætermiſsis,quatuor,quos ſufficientiores,& vtiliores regimini,& gubernationi Collegij cognouerint,eligent,quorum nomina ab omnibus Collegialibus,vel maiori parte publicæ electa in ſcriptis accipiantur. Inter quos quatuor ſorte dirimatur,quis eorũ futurus ſit Rector. Quorum vno in Rectorem electo. Reliqui tres Conſiliarij dicti Collegij,abſque alia diſcuſsione remaneant. Volumus tamen,quod duo nouiſsimi in Collegio intrãtes;ſcilicet, portionarius,& ianitor cum reliquis non ſortiantur ad huiuſmodi officia obtinenda.

De tempore electionis Rectoris,& Conſiliariorum. xx.

¶ I T E M volumus,& ſtatuimus , quod electio Rectoris, & conſiliariorum fiat in die ſancti Michaelis menſis Septẽbris,ita quod omnes Collegiales eo die ſint prǫſentes,alias qui tunc abſens fuerit,veſte,& inſignis Collegij eo anno careat niſi de mandato Collegij abſens fuerit,vel graui infirmitate detentus,vel captura ſine ſua culpa.

Quod vnus eligatur præceptor nouorum Collegialium, qui Conſtitutiones obſeruari, & legi faciat. xxj.

¶ITEM Cum nemo aſſumi debeat in magiſtrum, qui formam diſcipuli non aſſumpſit. Volumus & mandamus, quod inter Collegiales vnus eligatur, quem ad id ſufficientiorem cognouerint, qui Collegialium nouiter receptorum præceptor exiſtat, eoſque in vita, & moribus inſtruat, & has noſtras conſtitutiones obſeruare doceat, & interprætetur, qui etiam earum obſeruandarum, & debito tempore elegendarum curam habeat.

Qui modus eſt adhibēdus ſi Rector aliquid iniuſte mandauerit. xxij.

¶ITEM Volumus & mandamus, quod omnes Collegiales ſuo Rectori in omnibus, quæ eis, vel aliqui eorum iniunxerit, pareant, nec onus, aut pœnam impoſitam quo quo modo recuſent, excepto ſi eos, vel quem piam eorum á Collegio eiicere, aut per menſem á victu Collegij priuare voluiſſet, tunc damus ipſis Collegialibus, & eorum cuilibet ad Conſiliarios recurſum, qui re intellecta, ſi viderint Rectorem iniuſte, & inique in aliquem proceſsiſſe, ei denuntiabunt, qui illico ſub pœna prǽſtiti iuramenti illud reuocare teneatur, ſi tamen Conſiliarij, vel duo ex eis in hoc minime concordes fuerint, factum Rectoris ſiue iniūctum nequaquam improbetur.

Quid iuraturi ſūnt Rector & Conſiliarij. Et de conueniendis coram Rectore Collegialibus. xxiij.

¶ITEM Statuimus, & ordinamus, quod Rector, & Con

ſiliarij poſtquam electi,& recepti fuerint in præſentia omnium Collegialium ad ſacra Dei Euangelio corporale præſtent iuramentum quod recte,& fideliter omnia iura, bona,& commoda ab ipſum Collegium pertinentia iuxta noſtras conſtitutiones ſeruabunt,cuſtodient,& maxima cum diligentia gubernabunt,forma autẽ iuramenti nominibus quatuor Collegialiũ ſit ſubſcripta,&in quodã regiſtro huiuſmodi iuramentis deputato cõſeruata,in quo regiſtro huiuſmodi iuramenta annuatim deſcribantur.¶Volumus præterea,quod nullus ipſorum Collegialium audeat quempiam eorum conuenire,niſi coram Rectore,a quo non liceat appellare,ni ad ipſos Conſiliarios.Quibus mãdamus ſub pœna præſtiti iuramenti,vt habita verbo tantum caſus relatione ſine ſcriptis omni poſtpoſita malitia, ſiue dilatione cauſam terminare ſtudeant,atque procurẽt,quod ſi aliquis ipſorum Collegialium,vel ſeruitorum dicti Collegij,ex quacunque cauſa quantumcunque legitima,vel rationabilis,ſecus fecerit,eo ipſo,& pœnam præſtiti iuramenti incurrat, & a Collegio priuatus exiſtat.

Quod Rector,& conſiliarij ad annum tantum eligantur. xxiiij.

¶ITEM Volumus, quod Rector,& Conſiliarij non poſſint,niſi ad annum tantum elegi,quo finito ipſe Rector vſque ad duos ſaltem annos in Rectorem,& ad vnum in Conſiliariũ eligi non poſsit. Conſiliarij autẽ vſque ad annũ,nec ad officium Rectoris aut Conſiliarij eligi debeant. Volumus præterea,quod Conſiliarij anni præteriti in electione Vicerectoris ſequentis anni poſsit eligi. Conſiliarij vero eiuſdem anni poſsint in Rectorem ſorte eligi,ſed non in Vicerectorem. Qui autem Rector per quatuor menſes fuerit,anno ſequenti non poſſit inter reliquos Collagiales in Rectorem eligi.

Quod abſens poſsit in Rectorem vel Conſiliarum eligi. xxv.

¶Volu-

¶VOLVMVS etiam,& ordinamus,quod ſi forte ali quis collegialis abſens fuerit,cum venia Rectoris,& conſiliariorum eligi poſsit in Rectorem,vel conſiliarium,ſi infra octo dies á die electionis computandos reddierit. Sin autem,huiuſmodi electio ſit nulla,ſequentique die alius eligatur.Sin autem pro negotijs Collegij abſens fuerit, tanquam preſens eligi poſsit,nec currat ſibi tempus preſixum octo dierum,& donec reddierit vice Rector eius loco ſubſtituatur.Quod etiã de conſiliariorum electione cẽſeatur.

Pœna Rectoris delinquentis. xxvj.

¶ITEM volumus,& ordinamus,quod ſi Rector in ſuo officio minus recte ſe geſſerit.Quilibet Collegialium tale ſentiens illud,conſiliarijs manifeſtare teneatur,quod ſi eis viſum fuerit tale delictum correctione indigere, dent operam,vt corrigatur eum admonendo:ſi autem emendari noluerit,accerſitis omnibns collegialibus tale facinus in eorum cõſultationem ponant.Quod ſi omnes vel maior pars id expedire cognouerit, denuo prædictus Rector moneatur,vt infra conueniens tempus commiſſum diſſoluere & emendare,& damna reſtituere procuret, quod ſi facere noluerit ab officio priuetur,& alter eius loco ſufficiatur ſupra dicto electionis ordine,in aliquo non mutato.Conſiliarijs quoque in ſuo officio,vt antea permanentibus.

Quod futuro Rectori omnia dentur à prædeceſſore per inuentarium. xxvij.

¶ITEM volumus,& ordinamus,quod Rector á die ſuæ creationis infra octo dies primo ſequentes, cum conſiliarijs omnia bona Collegij á prædeceſſore relicta ſcripta per inuentarium recipiat,quod á nouis Rectore,& conſiliarijs ſubſcriptum verum, & probatum in archa dicti Collegij perpetuo ſeruetur. Præteritus vero Rector,& Conſiliarij rationem omnium expenſarum ordinarij & extraordinarij infra alios duodecim dies ſequentes nouis Rectori,& con-

ſiliarijs reddere teneatur. Quod ſi in ipſo dicto termino inuentarium facere neglexerint, moneantur vt ſequenti triduo illud faciant. Si vero prætermiſſo triduo illud facere contempſerint, ipſo facto abſque vlla ſpe á Collegio ſint priuati, quam priuationem Collegiales ſub pœna præſtiti iuramenti teneantur exequi. Si vero rationes dictarum expenſarum infra dictum terminum, vt præmittitur, non reddiderint, per menſem á menſa Collegij abſque alia remiſsione ſint priuati.

Quod Rector rationem expenſarum accepturus ſit. xxviij.

¶ITEM volumus, & ordinamus, quod Rector totius impenſæ ordinariæ, vel extraordinariæ in Collegio faciendæ rationem in fine cuiuſlibet ſeptimane recipiat, vel vnus Conſiliarius Rectore impedito. Quod ſi non fecerit, portione Dominicę ſequentis priuetur. Et ſi hoc per diſpenſatorem extiterit, quominus fiat, eandem pœnam incurrat. Præterea quod Rector ſimul, & conſiliarij in fine cuiuſlibet menſis á diſpenſatore, & extraordinario expenſarum ordinariarum, & extraordinariarum rationem accipiant, & á Receptore de eo, quod receperit in quolibet menſe. Et volumus, quod Receptor reddituum noſtri Collegij pecuniam á ſe receptam in rebus ſuis non conſumat, nec etiam alteri cuipiam mutuare audeat. Volumus inſuper, quod idem Receptor intra diem naturalem Rectori, & conſiliarijs pecuniam in eodem pondere, & menſura, & eadem moneta, quam á locatoribus reddituum acceperit, reddere teneatur, vt dicti Rector, & conſiliarij in archa collegij reponant. Pœna autem receptoris hanc noſtram conſtitutionem tranſgredientis multa diſtributionum præſentis anni ei imponatur, & ſi ſequens dies fluxerit receptore non ſoluente, nec rationem reddente pecuniæ á ſe receptæ, inſignijs Collegialibus, & veſte illius anni priuetur, & ſi tertia dies elapſa fuerit, priuetur omnino collegio. Has enim pœnas intelligendas fore cenſemus, quando eandemmet

pecuniam per hos tres hos dies retinuerit. Verum ſi pluries in hanc noſtram conſtitutionem commiſſerit, eandem pœnam incurrat,& ſi ſemel veſtitum,& inſignia,& diſtributiones contumaci auferantur: Iterum delinquens in hanc noſtram conſtitutionem, extimatione, valoreque veſtis,& focalis rubei priuetur. Volumus præterea, quod Rector,& Conſiliarij has pœnas, multaſque in bonis Receptoris exequantur. Et ſi bona eius ad hoc non ſufficerint, corpus eius carceribus,& vinculis aſtringi iubemus, quouſque vere,& realiter perſoluat. Et ſi Rector,& Conſiliarij hanc executionem non fecerint: obnoxij obligatique ſint Collegio in vtroque foro,& debitum hoc tanquam proprium ab eis ſtatim Collegiales exigant. Quod ſi diſpenſator maior,& extraordinarius in fine menſis ratione ab eis data aliquid eis in poteſtate ſua de pecunij receptis remanſerit, ſi duo millia marapetinorú,& amplius in ſe vnuſquiſque habeat, nullo modo eis pecunia detur, vſquequo eam, quam habent pecuniam in vſum Collegij conuerterint, quod ſi vltra duo millia marapetinorum quiſque eorum in ſe habuerit, reddit á ratione illius menſis illam dictam ſummam realiter,& cum effectu perſoluat,& ſi reddere noluerit, ſtatim portione tota menſe priuetur, quouſque illam reſtituat. Volumus etiã, quod ſi per menſem perſoluere noluerit, Rector,& Conſiliarij, executionem in bonis ſuis faciant. Pœna autem, quam Rectorij,& conſiliariis imponimus, erit eos obnoxios foro iudiciali tanquam principales debitores facere. Si vero Rector quolibet die á diſpenſatore rationem accipere noluerit eius arbitrio relinquatur, diſpenſator tamen maior á minore diſpenſatore quotidie rationem accipiat, quæ quidem ratio eiuſdem Rectoris, vel Conſiliarij, eam accipientis nomine ſubſcripta ſit.

De portionibus dandis. xxix.

¶ITEM, Quoniam vbi eſt ordo,& certa viuerd norma ibi cuncta recte procedunt, ſtatuimus quod vnicuique Collegialium tribuatur quotidie libra cum dimidia carnis arietis arbitrio Rectoris, pro prandio,& cœna diuidendæ. In

diebus autem ieiunij vel in quibus eſus carnium prohibitus eſt, tantum in piſcibus, vel ouis conſumatur, quantum in carnibus expendendum fuit, poſsit tamen vltra hoc Rectoris, & Conſiliariorum arbitrio moderati fructus miniſtrari: & quia principales anni feſtiuitates maiori iucunditate & lætitia celebrandæ ſunt. Volumus, & mandamus, quod in diebus Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & Epiphaniæ, & carniſpriui, aues dentur Collegialibus, Purificationis tamen Domini, ſancti Ioannis Baptiſtæ, & Corporis Chriſti, Aſſumptionis, & Natiuitatis & Conceptionis beatæ Mariæ, & ſanctæ Crucis Septembris, & Maij, & omnium Sanctorum feſtiuitatibus, & in cæteris feſtiuitatibus, in quibus Miſſa cantatur (prout infra in alia noſtra Conſtitutione continetur) aliquid ad portionem quotidianã augmentetur, iuxta Rectoris, & Cõſiliariorum arbitrium. Si vero aliquis ex deuotione ieiunium fecerit, debita illius diei portio ſibi integra tribuatur. Qui vero ad Miſſam non venerit addito illius diei careat.

De veſtitu & honeſtate Collegialium. xxx.

¶ ITEM volentes veſtitui, & honeſtati Collegialium prouidere, Satuimus, & ordinamus, quod vnicuique Collegialium annuatim in die ſancti Michaelis, clamis longa pãni Burielis Aragoniæ vulgariter nuncupati tribuatur, valoris ſex regalium argenteorũm cum dimidio, pro qualibet menſura, & dicta clamis ſtricte iuxta collarium applicetur ſibulis quibuſdam, quæ vulgariter corchetes nuncupãtur, quod ſi ſecus fecerint, pœnam arbitrio Rectoris imponendam ſubire teneantur. Quod etiam ad familiares in dicta clauſura voluimus extendi. Præcipimus etiam vnicuique eorum inſignia panni rubei cocinei menſuræ vnius tertij annuatim dari. Mandamuſque quod in aliis indumentis honeſte veſtiantur, nec ſerico, aut colore panni inhoneſto clericis á iure prohibito vtantur, nec calceis albis, veſtibus tamen pellibus confutis licite vti poſsint, prouiſo quod Collegiales ſub pœna á Rectore imponẽda veſte ſibi annuatim data, vti ſaltim tẽporibus ab eo diſponẽdis cõpellantur.

De

De ludo illicito vitando. xxxj.

¶STATVIMVS inſuper, quod nullus Collegialis in dicto noſtro Collegio ad aleas, vel taxillos quouis modo ludere præſumat, quod ſi ſecus fecerit, periurium incurrat, & á portione Collegij per menſem priuetur. Permittimus tamen ſolatij, vel exercitij, gratia aliis ludis honeſtis moderate, ac congruis temporibus vti poſſe pecuniario ludo ceſſante ſuper quibus conſcientias Rectoris, & Cōſiliariorum oneramus.

De camera vacante. xxxij.

ITEM Statuimus, & ordinamus, quod quandocunque aliquam cameram vacare cõtigerint, ſiue per obitum, ſiue per dimiſsionem, vel complementum temporis conſtitutionum Collegij, ſiue alio quocunque modo ſit optioni antiquiori Collegiali nullo habitu reſpectu ad officia, vtrum eã velit, nec ne, quod ſi eam noluerit, ſit proximo antiquiori poſt illum, & ſic ſeriatim á primo vſque ad vltimum, verum ſi duo pares antiquitate concurrat, gradu præditus præferatur ſi autem gradu ęquales fuerint, antiquior in gradu pręferatur: quod ſi in omnibus pares concurrant, cui Rector, & Conſiliarij ſimul, vel eorum maior pares voluerit, dicta camera conſignetur. Volumus etiam quod ſi aliquis Collegialis extra Collegium profectus fuerit, in mãdatis alicui Collegiali relinquat, quod ſi contingat aliquam cameram vacare, eam eligat, quæ ei iure venerit: quod ſi hoc non fecerit Rector illam cameram nomine abſentis poſsit eligere: Si tamen alicui Collegiali abſenti ius ad ipſam camerã ſic vacantem competeret: Volumus, & declaramus, ipſum abſentem antequam quid de huiuſmodi camera diſcernatur, expectari, vel quempiam alium ipſam cameram ſi voluerit, & in mandatis habuerit eius loco recipere. Prohibemus tamen ne diſcedens á Collegio ferreum, vel ligneum, vel cuiuſcunque materiæ fuerit, quod in eadem camera fabricauerit, ſecum exportare, aut vendere valeat: verum ſi ab vna in aliam cameram tranſierit, ea quæ ſua impenſa emit, ſe-

cum portare liceat,modo ſit ſine detrimēto Collegij, quod iuditio Rectoris,& Conſiliariorum,vel maioris partis eorū relinquatur,prouiſo quod ſeram nec tabulam pro celo poſitas deducere poſsit.

Quod omnes in refectorio prandeant, cœnent,& de concluſionibus facien-dis. xxxiij.

¶ ITEM Statuimus,quod Rector,& Conſiliarij, & Collegiales prandium , & cœnam in Refectorio ſimul faciant, exceptis ijs,qui aliqua infirmitare laborauerint . Permittimus tamen quod tempore hyemis á feſto ſancti Lucæ vſq; ad Paſcha,prandiū,& cœnam in colina vna facere poſsint, ſi velint.Mandamus etiam,quod diebus á Paſcha Dominicę Reſurrectionis vſque ad primam diem menſis Iunij omnes Collegiales hora decima prandeant , cœnam vero faciant hora ſexta,& á die prima menſis Iunij vſque ad diem Aſſumptionis Virginis Mariæ prandeant hora nona, cœnā vero faciant hora quinta : & á die beatæ Mariæ de Agoſto vſque ad ſanctum Michaelem,prandium ſit hora decima, cœna vero hora quinta poſt meridiem:á die vero ſancti Michaelis vſque ad Quadrageſimam prandium ſit hora vndecima,cœna vero hora nona.Qui autē horis ſtatutis cū aliis non conuenerint in menſa,præſenti prandio,aut cœna priuetur,prādiū vero taxetur ſex marapetinis:cœna vero quatuor cū benedictione,& cōcluſione,niſi Rector cum aliquo ex iuſta cauſa diſpēſauerit,ſuper quo conſcientiā eius oneramus.Quod ſi forte diebus feſtiuis tēpore prandij aliqui Collegiales in Sermonibus vel diuinis officijs occupati abſentes extiterint:ſi maior pars , aut ſaltem ſex Collegiales in Collegio fuerint,prandeant:abſentes vero,& ſi expectari nō debeāt,portione tamē non careāt. Prohibemus tamē & mādamus,quod omnes Collegiales in cibo, & potu ſint ęquales,& conformes.Nec aliquis cibū,aut potū,aut epulas delicatiores cōmunibus,vndecūq; habitas ſolus in menſa Collegialiū comedere,aut extra Collegiū prandere, aut cœnare cū aliquo poſsit abſq; expreſſa licentia Rectoris,& aliqua cauſa rationabili interueniente . Prandio autem fi-

nitum

nitum viciſsim arguant Collegiales, & concluſiones ſubſti neant omnibus præſentibus a die ſancti Lucæ, vſque ad feſtũ S. Iacobi menſis Iulij omnibus diebus præter feſtiuos, nec quiſpiam eorum etiam ab huiuſmodi menſa, priuatorum á cõcluſione diſcedat, donec finita, & declaratá fuerit. Volumus inſuper quod ſi quiſpiam Collegialium concluſionem (prout ei ſorte venerit) non ſuſtentauerit tribus diebus portione tota priuetur, iunior vero in ingreſſu domus cuiuſcunque facultatis ſit, præterquam ſi Rector, aut menſe lector fuerit, contra reliquos ſuæ profeſsionis ſuſtentantes concluſionem arguere teneatur, quod ſi facere hoc contẽpſerit, tota portione illius die priuetur. Volumus præterea quod omnes Collegiales concluſioni elucidandę interſint, ſi autem hoc facere neglexerint portione ſolius prandij priuentur, præterquam ſi cum venia ad hoc expreſſa Rectoris abierint, & ſi euenerit quod ſuſtentaturus concluſionem pridie quam proponatá Collegio diſceſſerit, & poſt infra tres dies a die quo ſuſtentare debeat, redierit: primam concluſionem, fulcire teneatur. Deindè vero concluſio ad ſuum ordinem reuertatur, & ſi hoc facere noluerit, portione tota trium dierum priuetur.

De ſecreto tenendo. xxxiiij.

¶ ITEM, volumus, & ordinamus, quod Rector, conſiliarij, ceterique Collegiales iuramentum præſtent, quod omnia ſecreta ad dictum Collegium pertinentia inter ſecreta tenebunt, & ſeruabunt, nec alicui pandent, quod ſi ſecus fecerint periurij habeantur, & ſi reuelauerint ſecretum, capellæ in foro conſcientiæ, ſi non huiuſmodi rei fuerit conuictus teſtibus, pro ſingulis ſecreti promulgationibus mille diſpondios pro archa Collegij reddere teneantur, & ſi de hoc fuerit conuictus, a Collegio expellatur, excepto ſi alicui Collegiali, qui tunc temporis abſens fuerit, reuelauerit, dicens illud eſſe ſecretum capellæ, idem ipſe Collegialis obſeruare ſub eadem pœna teneantur, ſecretum autem intelligatur, quod Rector cõmendauerit.

Quod conſtituatur vnus procurator Collegij. xxxv.

¶ I T E M ſtatuimus,quod Rector,& Conſiliarij,& cæteri Collegiales ſimul congregati conſtituant procuratorem quem magis idoneum,& conducibiliorē Collegio cognouerint,qui procurator ſub pœna priuationis Collegij officiū acceptet,&de eis,quę geſſerit Rectori rationem reddat,qui ambo futuris Rectori,& conſiliarijs coram omnibus Collegialibus denuo rationem reddant.Præterea ſi viderint expedire aliquem oppidanum ſecularem,vel clericum perpetuo,vel ad tempus,economum conſtituāt,& creent,qui redditum fructuum,& prouentum Collegij curam,& gubernationem gerat:cęteraque extra,vel intra oppidum faciet, quæ ipſo Collegio,&eius redditibus viderit magis conuenire,quodque poſſeſsiones,& redditus Collegij ſaltem ſemel in anno per Rectorem,vel aliquem Collegialem,aut procuratorem nomine Collegij viſitentur,viſitatio autem huiuſmodi quoad poſſeſsiones(ſi eas in futurum habere Collegiū contigerit)intelligatur non ad eccleſiaſtica beneficia.

De tempore abſentiæ. xxxvj.

¶ I T E M volumus,& mandamus,quod ſi quiſpiam Collegialium volumptatis,vel exercitij gratia ſe á dicto noſtro Collegio ſe abſentare voluerit , liceat Rectori facultatem abeundi per duos menſes tantum illi concedere,quibus elapſis ſi non reddierit,a Collegio priuatus exiſtat,ex iuſta tamen,& legitima cauſa,quam diſceſſurus veram,& neceſſariam,ſe credere iurauerit.Rector,& Conſiliarij , vel maior eorum pars per alios duos menſes ei facultatem abeundi faciant,prouiſo quod Collegiales , qui per prædictos quatuor men ſes a Collegio ſemel abſens fuerit:ſequenti anno aliud quadrimeſtre,vel eius partem habere nequeat niſi in Collegio per continuum ſe meſtre á tempore finitę licētiæ computandum permanſerit.Decernimus tamen vt qui quadrimeſtre vnius anni potitus non fuerit,anno ſequenti,prę terito quadrimeſtri,vel eius parte gaudere non poſſit,verū ſi præfixo tempore non reddierit a Collegio,priuatus cenſeatur,prohibemus tamē ne eius loco quiſpiam ſufficiatur, nec eius præbenda vaccare denuntietur infra viginti dies,

infra quos ſi cauſam more neceſſariam per ſe vel aliũ red-diderit cum eo benigne,& humanæ agatur, & in Collegio ſine noua electione admittatur: ſi vero dictis viginti diebus elapſis cauſam more non oſtenderit, nulla excuſatio ei ſuf-fragari valeat, ſed illico nouus collegialis eligatur. Annum vero a feſto ſancti Michaelis menſis Septembris connu-merari volumus,& declaramus. Verum quia capellani mi-nus diſcurrere debēt,& magis ſunt neceſſarij, ſi quando for-te aliquis eorum a collegio propter neceſſitatem vrgentem diſceſſurus ſit, alius eum expectare teneatur. Nec donec ve-nerit aut alius eius loco ſubſtitutus fuerit a collegio diſcede-re poſſit.

De benedictione menſe. XXXvij.

Item Volumus, & ordinamus, quod omnibus diebus tam in prandio, quam in cœna per ſacerdotem illa hebdomada diuina celebrātem ſi fuerit, ſin autē per aliū ca pellanū vel per Rectorē fiat benedictio mēſe: quod ſi aliter dicti capellani fecerint, pro qualibet vice hebdomadario delinquenti multa vnius aſsis imponatur: aſſem vero intel-ligimus illud, quod Hiſpani vn marauedi dicunt.

Quod in prandio & in cœna ſemper legat vnus. XXXViij.

¶ ITEM Volumus, & ordinamus, quod in refectorio dū prādium fecerint, vnus collegialium per hebdomadas (prout ei ſorte euenerit) Bibliam, in cœnando vitas pa-trum, ſiue Cantica canticorum, vel quempiam aliuni librū ad arbitrium Rectoris recitet, in quibus Rectorem tantum excipimus. Ordinamus preterea, quod he noſtre conſtitu-tiones quater in anno legantur in cœna. A principio anni, & a Paſcha Reſurrectionis Dominice, & a feſto ſancti Ioan nis Baptiſte, & a die ſancti Luce cum diebus immediate ſe quentibus, quo ad finiantur in refectorio omnibus collegia libus iunctis: quoque exemplar earum alterū in bibliothe-ca cum alijs libris legatum. Alterum vero in archa colle-gij clauſum, reliquum vero in camera Rectoris ponatur.

Deſilencio obſeruandoin menſa. XXXIX.

¶ ITEM mandamus, & ſtatuimus ſub pœna á Rectore iniungenda, quod in refectorio dum prandium, aut cœnam fecerint ſilentium ab omnibus obſeruetur, & hoſtiũ ſub claue claudatur.

Quod vnuſquiſq; in camara ſua dormiat. XL.

¶ ITEM Volumus & ordinamus, quod vnuſquiſq; in camera ſibi aſignata noctu dormiat, nec in alterius camera quieſcere audeat, niſi valetudinis cauſa, ob quam viſitaturus, aut viſitandus ſit, vel venia Rectoris, & conſiliarum ex aliqua iuſta cauſa, & honeſta impetrata: ſuper quo cõſciẽtias eorum oneramus: qui vero contrarium fecerit, pro prima vice a portione menſe per ſex dies priuetur, pro ſecũda duodecim dierum careat portione: pro tertia vero portione viginti & quatuor dierum omnino ſit priuatus: & ſic deinceps multiplicando.

Quod infirmo dentur neceſſaria XIj.

¶ ITEM Volumus, & ordinamus, quod expenſis collegij miniſtrentur neceſſaria infirmo collegiali, vel familiari pro arbitrio Rectoris, & conſiliarium, vel maioris partis eorum; ſuper quo eorum conſcientias oneramus: ſi vero aliquem eorum decedere cõtingerit: Volumus medietatem expenſarum in eius infirmitate ſumptibus collegij factarum ex bonis defuncti, ſi habuerit vnde collegio ſolui debere. Precipimus inſuper, quod ſi quiſpiã in lecto infirmitate laborans triduo iacuit, illico illo lapſo omnia peccata ſua pure confiteri: & ſi grauis, vel pericu loſa fuerit infirmitas, Euchariſtiam (niſi ſacerdos id vetuerit ex aliqua cauſa ſibi in confeſſione nota) in forma eccleſie conſueta recipere debeat: alicquin a portione collegij, donec id fecerit, ex tũc priuatus exiſtat, que autem ſit grauis infirmitas ad perceptionem Euchariſtie iudicio medicorum relinquatur.

Quod pauperibus collegialibus & miniſtris in collegio decedentibus dentur neceſſaria pr o funere exequendo. XLij.

¶ ITEM Cum in omnibus tum precipue in propinquiores operibus miſericordię vti debeamus. Pręcipimus & ordinamus, quod ſi collegiales, vel familiares in dicto noſtro collegio e vita decedentes tanta paupertate laboraverit, quod relicta eorum bona exequendo funeri non ſufficiant, tūc ex bonis collegij omnia neceſſaria ipſis ſepeliēdis, & funeri exequendo miniſtrentur.

Quod nullus pręt er collegiales dormire poſſit in collegio. XLiij

¶ I T E M Statuimus, & ordinamus, ac prohibemus ne quiſpiam pręter collegiales, & collegij familiares in ipſo collegio dormire poſsit die, vel nocte, ſuper quo Rectori diſpenſandi omnimodam poteſtatem denegamus.

Quod nullus collegialis noctu extra collegium dormiat. xliiij.

¶ I T E M Statuimus, & ordinamus, quod nullus collegialium noctu extra collegiū dormiat, niſi ex legitima cauſa, puta ęgritudinis obtenta prius veniat, Rectoris, & cōſiliariorum: quod ſi quiſpiam contenderit ſecus pro primo ei ignoſcatur: ſecundo vero pane, & aqua diē trāſire cogatur pro tertio vero abſq; venia a collegio prorſus expellatur.

Hora receptus in Collegio. xlv.

¶ I T E M Volumus, & mandamus, quod eo tempore, quo in dicta noſtra maiori eccleſia pulſatur ad orationem faciendam beatiſſimę virginis Marię, omnes collegiales ſe in collegium recipiant. quo etiam tempore campanam collegij pulſari mandamus. quod ſi ſecus fecerint pro pri.

ma,& ſecũda vice delinquenti ignoſcatur.tertia vero a collegio priuetur. quod ſi aliquis conſiliarum exequi recuſauerit, aut minus bene ſe geſſerit. Rector, & conſiliarij cum vno collegiali quem ad id elegerint, illud exequi poſſint.

¶ITEM Volumus,in noſtro collegio ianitorem ſemper per diem ianuis clauſis temporibus opportunis adeſſe qui curam hoſtij claudẽdi habeat,ne quiſquam in illis tempori bus aditum liberum in collegium inueniat.

Quod omnes loquantur Latine. xlvj

¶ITEM Statuimus,& ordinamus:quod omnes collegiales, & familiares interſe per totum collegium, & eius terminum loquatur. Latinę ſub pœna a Rectore imponenda.ad quod facilius exequendum accuſator quolibet menſe deputetur, etiam ad arbitrium Rectoris puniendus ſi ſe in eo negligenter geſſerit.

Quod extra collegium nullus exeat ſolus. xlvij

¶ITEM Volumus, & ordinamus,quod quando aliquis collegialis per oppidum ad aliqua negotia procuranda extra collegium ſe contulerit: eat cum venia Rectoris, & ſit ei comes alius collegialis, preterquam ſi ad lectionem iuerit ad ſcholas vel diebus Dominicis,vel alijs ſeſtiuitatibus ad miſſam, vel veſperas eccleſię maioris, vel parrochialis.

De murmure & ſtrepitu vitando et puniendo. xlviij

¶ITEM volumus, & mandamus,quod nullus collegialium cuiuſcunq; conditionis ſit, ſtrepitum, aut murmur in refectorio aut colina faciat,etiam ſi ei integra portio nõ detur.poteſt tamen extra refectorium, aut colinam ſupplex Rectori honeſtę conqueri, ſi vero ſecus fecerit ſequenti die

ei panis,& aqua tantum pro cibo miniſtretur, ſi vero contẽtio,aut tumultus inter Collegiales ortus fuerit, Rector quã primum illud placare ſtudeat,poſtea vero delinquens arbitrariæ puniatur,& ſi ſe grauatum ſenſerit, ad Conſiliarios recurrat,ſi autem inter Rectorem & quempiam Collegialiũ contentio oriatur,ipſi Conſiliarij,vel duo eorum ſub pœna ab eis iniuncta ſilentium imponant,ad quam tenendam,& obſeruandam Rectorem,& alios arctari volumus. Qui vero inobediens fuerit,facta monitione portione cibi , & potus Collegij per menſem careat,Quod omnes Collegiales ſub pœna præſtiti iuramenti ſeruare,& exequi teneantur.

Quod honori alterius non detrahatur. xljx.

¶ I T E M Statuimus,& prohibemus ne quiſpiam Collegialium intra,vel extra Collegium honori,famę,vel extimationi cuiuſpiam ſociorum detrahat,aliter faciens arbitrio Rectoris puniatur,ſuper quo eius conſcientiam oneramus & ſi ſibi videatur,poſsit ſuper hoc veritatem inter Collegiales inquirere.

De cathedra Collegi,& curſu. l.

¶ I T E M volumus,& ordinamus,quod in ipſo Collegio vna cathedra conſtituatur,in qua ſacræ Theologiæ,vel iuri Canonico,& Ciuili, & Medicinæ operam dantes legant, & curſum faciant,& Rector,& Conſiliarij duos Canoniſtas, duoſque Theologos,vnum Legiſtam,Medicum vnum poſſint compellere,vt quiſque in ſua facultate profiteatur,& legat lectionem ordinariam:quod ſi moniti hoc facere neglexerint,á tota portione Collegij priuetur,quouſq; quod per Rectorem,& Conſiliarios eis mandatum eſt,effectu cõpléuerint.Si autem in hora legendi fuerint diſcordes,hora per Rectorem eis aſsignetur:ita quod modo vnus, modo alius (ſi plures fuerint)curſum peragere queãt. Volumus etiam, & mandamus,quod nullus Collegialium (niſi in cathedra ſalariata,vel eius ſubſtitutione,vel pro ſalario)extra Colle-

gium legat. Si tamē plures curſantes fuerint, & in ipſo Collegio omnes curſum peragere non poſsint, permittimus vt extra Collegium legant,& curſum faciant:prouiſo quod ſit optioni ipſius Rectoris,quos in cathedra Collegij, & quos extra collegium legere maluerit,& pro eius arbitrio diſcernatur,inſuper decernimus omnes Collegiales minores in gradu ab ipſo Collegiali curſante audire debere,quod ſi ſecus fecerint,facta eis monitione,ab ipſo Collegio priuentur.

De forma opponendi cathedris, vel ſubſtitutionibus. lj.

¶ ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod quotieſcunque in dicta Vniuerſitate aliqua cathedra,vel ſubſtitutio vacauerit,& plures Collegiales ad eam ſe opponere voluerint: vnuſquiſque eorum lectionem inter Collegiales de materia ſibi aſsignata per Rectorē facere teneatur.Poſthæc vero omnibus in Capella cōgregatis idē Rector ab eis iuramentum accipiat,quod nullus eorum odio, timore, gratia, vel fauore,ſeu alia quacūque cauſa,votū,ſeu ſuffragiū, præſtabit alicui eorū,niſi ei quē ſecundum Deum, & bonā conſcientiā ad dictam cathedram,ſiue ſubſtitutionem aſſequēdam ſufficientiorem, & magis idoneum fore cognouerit. Quo ſic præſtito omnes per ſchedulas ſecretæ ſuffragia præſtabunt,& cui maior pars adhæſerit,ille ſolum ad dictā cathedram,ſiue ſubſtitutionem ſe opponere poſsit.

De Collegij libris non extrahendis. lij.

¶ ITEM volumus,& expreſſe prohibemus ſub pœna præſtiti iuramenti ne libri ipſius Collegij cuipiā in Collegio, vel extra cōmodari poſsint ad trāſcribendū,vel ſtudendū, ne ve Collegialis librum ex bibliotheca in camera ſua accipiat. Si quis vero aliter fecerit,primo & ſecundo ei ignoſcatur,tertio vero extra Collegiū abire cogatur. Mādamus inſuper claues virgarum ferraarū,quibus clauduntur libri reponi in archa dicti Collegij quatuor clauibus clauſa.

De libris ferreis cathenis cuſtodiendis. liij.

¶ITEM volumus, & ordinamus, omnes libros, quos ipſi Collegio donauimus, aut donauerimus, ferreis cathenis in bibliotheca ligari, nec inde auferri, vel alienis concedi poſſe: ſi vero aliquis Collegio alienus in biblioteca legere, aut videre aliquid voluerit, ſit ei ſemper comes ſtationarius, vel Collegialis ad incommoda vitãda. Volumus etiã, quod quilibet Collegialium penes ſe habeat vnam clauem bibliothecæ, & ſi cuiuſpiam negligentia aditus bibliothecæ patuerit, eadem die á vino abſtinere cogatur.

Quod Collegiales por oppidum cum habitu incedant, liiij.

¶ITEM volumus, & expreſſe prohibemus, ne quiſpiã Collegialium per oppidum, vel in locis ad quæ ſe extenderit interdictum in dicto oppido Vallis oleti, & infra vnam leucam poſsit ire, & reddire in alio habitu decenti abſque clamide, & inſignis. Quod ſi ſecus fecerit, pro prima & ſecũda vice á vino abſtineat, tertia vero á Collegio priuetur. Volumus tamẽ, quod ſi Collegiales in dicto oppido ſermonem ad populũ habuerint, liceat eis clericali alba veſte indui & ſine focali rubeo declamare.

Quod cameræ omnium ſemper pateant Rectori. lv.

¶ITEM ordinamus, & mandamus, quod ſi Rector cameram cuiuſcunque Collegialis adire velit confeſtim illi ſine dificultate fores pareant: ita quod Rector omnia quæ in camera ſunt poſsit reſpicere, quod ſi aliquis Collegialis reſiſtere tentauerit, á Collegio priuetur.

Quod nullus Collegialis abſens gaudere poſsit portione Collegij. lvj.

¶ITEM volumus,& mandamus,quod nullus Collegialis dum fuerit abſens quacunque cauſa quantumcunque iuſta quicquam portionis ſibi debitæ percipiat,etiã ſi ad hoc Rectoris, & Conſiliariorum expreſſus accedat conſenſus, quod ſi quicquam exceſſerit tam ex portione abſentiũ, vel ex redditibus Collegij,vel alia quacũque cauſa,archæ Collegij ſub pœna præſtiti iuramenti accreſcat.

Qua hora hoſtium claudendum ſit. lvij.

¶ITEM volumus,& ordinamus,quod hoſtium principale Collegij infra mediam horam poſtquam tempore Cõplectorij in dicto Collegio pulſatum fuerit,claudatur, poſtquam vero clauſum fuerit,nemini,ſiue ſit Rector,aut Conſiliarius,ſiue Collegialis,ſiue alienus, & ſi grauiſsima cauſa vrgeretur,aperiatur,ſi vero quiſquam Collegialium ſecus fecerit,ex prima pane,& aqua tantum pro victu die ſequenti vtatur,ex ſecundo duplici pœna afficiatur:ex tertio autẽ á Collegio alienus exiſtat.Rector vero in hoc delicto his deprehenſus ab officio ſit priuatus:tertio vero perſeuerans ſine ſpe venie á Collegio expellatur. Quod ſi quempiam per feneſtram,vel murum intrare, vel exire compertum ſit,á Collegio priuatus exiſtat:quod etiam in familiaribus exequendum cenſemus cuſtodia vero ianuarum ad Rectorem, vel cui ille commiſſerit,id modo honeſtus &bonis moribus prædictus ſit,pertineat,permittimus tamen, graui imminẽte morbo Collegialis,vel familiaris exigẽte neceſsitate ex conſilio alterius Medicorum Collegij,& cum venia Rectoris hoſtium Collegij aperire poſſe,& non alias : ſuper quo eorum conſcientias oneramus.

De incumbentibus iure Canonico,& Ciuili. lviij.

¶ITEM volumus, quod nullus iure Canonico incumbens, vltra triennium leges audiat duas lectiones tantum

au-

audiens,& hoc poſtquam Bachalarius effectus ſit. Si tamen aliquis Collegialis Rectori, & Conſiliarijs ſufficiens fuerit repertus: liceat eis per annum diſpenſare ad audiendum librum inſtitutionum etiam ante Bachalariatum, ſi autem quiſpiam ſecus fecerit, pro arbitrio Rectoris,& Conſiliariorum puniatur.

De archa communi. lix.

¶ ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod in Capella Collegij collocetur quædam archa valida ad reponendum pecunias,& redditus.& inſtrumenta dicti Collegij cum quatuor clauibus,quarum vnam Rector,& aliam quilibet conſiliariorum penes ſe habeant, vt ſi inde quicquam ponendum fuerit,in præſentia omnium fiat.

De cuſtodia ornamentorum Capellæ. lx.

¶ ITEM ſtatuimus & ordinamus, quod penes Rectorẽ & Conſiliarios maneant,& cuſtodiantur ornamenta Capellæ Collegij pro feſtis ſolenniter celebrandis vtenda, vſui tamen quotidiano neceſſaria ſint penes Capellanos.

De cuſtodia frumenti. lxj.

¶ ITEM volumus & mandamus,quod reſiduum frumẽti ex redditibus Collegij facto domeſtico ſumptu diligẽter cuſtodiatur,ita quod ſemper ſuperſint in camera frumentaria ſaltem quingente menſuræ,quæ materno ſermone dicuntur fanegæ,ad ea quæ poſsint accidere. Quod frumentum temporibus acommodatis perſonis aliquibus honeſtis & fidedignis mutuo dari,& in tempore reuocari poſsit, ne nimia vetuſtate tinea conſumatur,quod Rectoris,& Conſiliariorum prudentiæ demandamus dummodo vſura aliqua non interueniat.

Quod annuatim fiat memoriale redditũm. lxij.

¶ ITEM

¶ I T E M volumus,& mandamus,quod factis, & conductis ad firmam,vel ad annuam penſionem redditibus dicti Collegij memoriale omnium reddituum ſingulis annis in archa Collegij reponatur,cuius exēplum in die ſancti Ioannis Baptiſtæ recipiat illud viſitatori daturus ad faciendam viſitationem.

De cuſtodia reddituum. lxiij.

¶ I T E M volumus,& mandamus,quod ex reſiduo redditiuum Collegij domus,& edificia reparentur libri ſi neceſſarij fuerint,aliaque domui neceſſaria emantur.

De prouiſione victus, &c. lxiiij.

¶ I T EM ſtatuimus,quod Rector, & Conſiliarij tempore debito de victu,& veſtitu alijſque rebus neceſſariis prouideant,quod ſi non fecerint, damnum, aut incommodum Collegio inde venturum per viſitatorem ſoluere cogantur. Nec excuſatio admittatur, ſi tempore prouiſionis faciendæ pecunias in communi archa non habuerint. Nam dato quod non habeant,nos ex nunc eos ad pecuniam pro huius prouiſione facienda ab amicis, aut aliunde ſuper pignore vſque ad futuros redditus quærendum arctari volumus, & mandamus.

¶ I T E M volumus,& expreſſe prohibemus,quod in noſtro Collegio Collegiales nullo modo exteros quoſcunque expenſis ſuis inuitent. Libationem tamen poſsint, quibuſcunque voluerint dari.

¶ I T E M ſtatuimus ne ijs rebus quæ in promptuarijs noſtri Collegij ad vſum,prouiſionemque reſeruantur,puta panis,vinum, carnes, & huiuſmodi alicui Collegiali,vt extra Collegium donet,aliquid vendatur. Poſsit tamen aliquid modicum panis,vel vini dari alicui infirmo arbitrio Rectoris & Conſiliariorum.

De reparatione Collegij,& poſſeſſionum. lxv.

¶ITEM volumus, & mandamus, quod Rector pro tem pore exiſtens videat ea, quæ reparatione ædificiorum col legij, & poſſeſsionum eius indigent. Et quando aliquid reparandum, vel de nouo ædificandum fuerit, vnus colle- gialium per hebdomadas (prout ſors tulerit) de mandato Rectoris præſens exiſtat. Ita tamen quod ſi de nouo ali- quid ædificandum, vel fabricandum fuerit: fiat de conſen ſu Rectoris, & conſiliariorum, vel maioris partis eorum, & non alias.

De alienationibus. lxvj.

¶ITEM ſi aliqua vrgente neceſsitate vel euidenti vti litate, aut alijs de cauſis à iure permiſsis alienationes, vel permutationes faciendæ ſint ex collegij bonis, circa hoc iu ris communis diſpoſitioni ſtandum fore cenſemus, atque decernimus, prohibemus etiã quod bona redditus, aut pe- cuniæ collegij nequaquam commodato, aut mutuo extra collegium dari poſsint. Quod ſi forte aliqua ſuperueniente neceſsitate, aut vrgente cauſa id faciendum ſit de conſilio Rectoris, & conſiliariorum fieri debeat, & tunc cũ ſufficien ti pignore vel cautione, & non alias.

De numero ſeruitorum Collegij. lxvij.

¶ITEM volumus, & ordinamus, quod ad vſum, & ſer- uitium Collegij totius recipiantur nouem ſeruitores. Pro- hibemus tamen, ne Rector, aut quiſpiam conſiliariorum vel collegialium proprium ſeruitorem, vel infra quartum gradum conſanguinitatis coniunctum habere poſsit. Ita quod familiaris Collegij non poſsit eſſe ille, qui moram traxerit cum aliquo Collegialium ante, vel poſt ingreſſum Collegij. Et inter iſtos ſeruitores vnus eorum ſit diſpen- ſator, & alius coquus, cæteri ad ſeruitium commune de- putentur. Permittimus tamen, quod ſi coquus ſcholaris non reperiatur, laicus in coquum aſſummatur intra, vel extra collegiũ (prout omnibus collegialibus viſum fuerit)

dormiturus aut ſeruus officio coline,& alijs collegio neceſſarijs ematur.

De ſacramentis communicandis. lxviij.

¶ ITEM ſtatuimus & ordinamus,quod omnes collegiales,& collegij ſeruitores iuxta precepta eccleſiæ peccata ſua confiteantur ſaltim bis in anno,ſcilicet in hebdoma da ſancta,& per hebdomadam ante feſtum Natiuitatis Domini ſacramentum Euchariſtiæ in capella dicti Collegij tẽporibus ab eccleſia ſtatutis recipiãt ſaltem die Reſurrectionis Dominicæ,de quo Rector verum relatum habeat, & ſi quis præmiſſa facere contempſerit, nulla excuſatio quantumcunque vrgente admiſſa á collegio ſine ſpe veniȩ eijciatur:vna tamen monitione ei coram Rectore,& conſiliarijs prius facta:quod illico collegiales ſub pœna præſtiti iuramenti exequi teneantur. Volumvs etiam,quod ſi Collegiales ante Paſcha DominicȩReſurrectionis á Collegio diſceſſerint,redeuntes infra quindecim dies Euchariſtiam recipere teneantur in prima die Dominica poſt aduentum ſuum in capella dicti collegij.

De Horis dicendis, & de Commemoratione fundatoris. lxix.

¶ ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod ſi quiſpiam eorum qui in dicto collegio extiterint,ſacri ordinis caracterȩ inſignitus,aut aliquo beneficio eccleſiaſtico aſtrictus fuerit,horas canonicas perfectæ dicere nõ prætermittat,quod ſi non fecerit,monitus á collegio priuetur. Volumus,& ordinamus,quod reliqui collegiales,eſſet ſi ſacris ordinibus initiati, aut aliquo beneficio aſtricti non fuerint,horas defunctorum pro animabus parentum,& fratrum noſtrorum, & poſt deceſſum pro nobis quotidie dicere teneantur: quod ſi ſecus fecerint,in foro conſcientiæ ſint obligati ad reſtitutionẽ portionis illius die,in quo no recitauerint prædictas horas. In Miſſa vero in capella collegij celebranda commemoratio noſtri quotidie fiat,quod ſi in Miſſa vna tantũ ora

tio dicenda ſit, in eius fine dicetur, & famulum tuum Cardinalem hiſpaniæ huius Collegij fundatorem ab omni aduerſitate cuſtodi: poſt deceſſum vero noſtrum (prout communiter pro Pontificibus fieri conſueuit) commemoratio fiat nomine Pontificis, in nomine Cardinalis Hiſpaniæ mutato, quod ſi non fecerint, á Rectore arbitrarie puniantur.

Quod nullus habeat mulierem. lxx.

¶ITEM ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi quiſpiam de gentium in dicto Collegio repertus ſit aliquā concubinā in oppido Valliſoletano, vel extra publice, vel occulte habere. Si per indicia, & iuramentum trium, vel plurium teſtium in crimine deprehenſus fuerit, aut cum aliqua in dicto oppido rem habere compertum ſit, á collegio priuatus exiſtat. Quod omnes collegiales ſub pœna præſtiti iuramenti illico exequi teneantur. Rectori autem inquiſitionem huiuſmodi criminis relinquimus.

¶ITEM volumus, & expreſſe prohibemus, quod nullus collegialis mulierem cuiuſcunque conditionis ſit, in cubiculum ſuum ſine venia Rectoris intromittat. Si autem illa ipſo ignorante in cameram ſuam irruperit: collegialis nulla mora facta á cubiculo ſuo petiturus veniam á Rectore diſcedat, quod ſi hoc facere renuerit, pro ſingulis in hāc Conſtitutionem commiſsis portione vnius diei careat.

Quod omnes ſemel in menſe conueniant. lxxj.

¶ITEM volumus, & mandamus, quod ſemel in menſe omnes Collegiales cum Rectore, & Conſiliarijs in Capella Collegij, vel alio loco idoneo conueniant ad tractandum, cognoſcendumque de redditibus, poſſeſsionibus, & reparationibus bonorum, & ędificiorum dicti Collegij, ita vt omnes ſciant negotia, & bona Collegij: & eodem die Rector libros librariæ requirat, & á puluere excuti faciat.

Quod nullus portet arma lxxij.

ITEM ſtatuimus & ordinamus, quod nullus arma intra vel extra collegium portare prȩſumat, nõ impetrata venia Rectoris, & conſiliarium, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Excepto ſi extra oppidum quiſpiam collegialis proficiſcatur, quod ſi aliter fecerit, a portione collegij duorum menſium priuatus exiſtat. Liceat tamen eis paruis gladijs ad ſcindendum panem, & carnes vti.

Pœna percutientis alium. lxxiij.

¶ ITEM ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi inter collegiales & capellanos, vel aliquos ex eis iurgia, contentiones vel diſcordiȩ contingerit: ita vt manus violentas in ſe inuicem coniecerint: tunc Rector veritate comperta eum qui in culpa fuerit á collegij portione per mẽſẽ priuabit ſi autẽ vnus ligno, gladio, vel lapide alium cum effuſione ſanguinis percuſſerit, percuſſor a collegio priuatus exiſtat: ſi ambo percuſſerint, qui eorum in culpa fuerit, eijciatur. ſi ambo peccauerint parter eijciantur: ſi vero quiſpiam gladiũ, aut enſem, diſtringerit: nec vltra pro greſſus fuerit, portione menſis careat, quod ſi aliter diſcordantes ad pacem, vel amicitiam inuicem reddire noluerint, cogi poſſint ad eam iniendam, & ſi ſe difficiles prȩbuerint pro arbitrio Rectoris & conſiliariorum puniantur.

Ne quis Rectorem conuicio afficiat. lxxiiij.

¶ ITEM ſtatuimus, & prohibemus, ne collegialis quiſpiam aut ſeruitor dicti collegij verbo inhoneſto turpi, vel aliquo conuicio Rectorem ſum afficiat. Siquis vero in prȩmiſſis deliquerit, in eum Rector pro arbitrio anim aduertat nec recurſus, aut appellatio ad conſiliarios ei in tali caſu ſuffragari poſſit.

Quod in abſentia Rectoris vel conſiliariorũ alius ſufficiatur. lxxv.

¶ITEM volumus,& ordinamus,quod ſi Rectorem vel quempiam conſiliariorum ex aliqua legitima cauſa á collegio abire contingerit,eius loco ſeruato ordine alius ante illius diſceſſum ſufficiatur:dummodo vltra quindecim dies licentiam acceperit.Si vero intra dictos quindecim dies licentiam acceperit,tunc antiquior conſiliarius loco Rectoris ſubrogetur.Loco vero conſiliarij nullus.

Quod Rector à Collegio non diſcedat,niſi reddita ratione. lxxvj.

¶ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod Rector tempore quo ad officium admiſſus fuerit,iuramentum præſtet,ſe á collegium minime receſſurum,niſi ratione expenſarum,& omnium bonorum acceptorum prius reddita,vel ſufficienti præſtita cautione. Volumus præterea,fideiuſſorem Rectoris abſentis inſolidum teneri debitore principali non excuſſo,quod ad ſimiles caſus in alijs fideiuſſoribus extendi volumus,& mandamus.

Quod miſſus à Collegio victu contentetur. lxxvij.

¶ITEM volumus,& mandamus,quod collegialis miſſus ad negotia collegij tranſigenda victu tantum contẽtus exiſtat nullo alio præmio ei præſtito. Volumus tamen,neminem collegialium,niſi pro re vera,certa,& exiſtenti mittidebere.

Quid facturi ſunt collegiales tempore peſtis. lxxviij.

¶ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod ſi oppidum Valliſoletanum peſte(quod Deus auertat)vel aliquo contagioſo morbo laborare contingerit,ita vt inde mors communiter ſequeretur,tunc collegiales,ſi eis,vel maiori parti viſum fuerit,ab ipſo collegio vltra tempus in alia noſtra conſtitutione ſtatutum diſcedere valeant,facta

prius á Rectore,& Conſiliarijs,vel maiori eorum parte abeundi licentia. Prouiſo quod ſemper in dicto Collegio maneant duo,vel tres Collegiales,& vnus Capellanus,& ſi forte contentio oriretur vtri eſſent diſceſſuri,vel manſuri: Volumus hanc litem inter eos dirimi ſorte,ne cauſa ſit ſuccedendi Rectori,& Conſiliarijs,vel eos odio,vel aliqua inobedientia perſequendi. Ita tamen quod durante peſte,vel huiuſmodi morbo ipſa abſentia vltra octo menſium ſpatium extendi non poſsit,abbreuiari tamen poſsit ceſſante peſte pro Rectoris,& Conſiliariorum , & ipſorum Collegialium prudentia. Volumus etiam,quod ſi dicto tempore aliquis, vel aliqui collegiales abſentes peregre profecti fuerint: qui tunc temporis in collegio habitauerint,pro abſentibus ſortes mittant. Quod ſi cuipiam abſentium ſors cuſtodiendi collegij euenerit: Rector,& conſiliarij illos de aduentu ſuo in collegium certiores faciant monitione facta infra duos, vel tres dies diſceſſuri,& ad tempus á Rectore, & conſiliarijs aſsignatum reddire in collegium teneantur,quod ſi nõ venerint,á Collegio abſque ſpe omnino priuentur,niſi ſint impediti impedimento,de quo habetur in alia noſtra conſtitutione de tempore electionis Rectoris, & conſiliariorũ. Nolumus tamen, collegiales gaudere poſſe talibus annis tempore quadrimeſtre,(prout in alia noſtra conſtitutione conceditur.) Qua quidem peſte,vel morbo ſedato. Tunc collegiales á tempore,quo id ſciuerint , & per Rectorem, vel aliquem alium ſibi notificatam fuerint, ad vnum menſem ad collegium reddire teneantur. Quod ſi nõ fecerint, nulla excuſatione quantumcunque legitima, vel iuſta eis, vel alicui eorum ſuffragante á collegio ſint priuati. Verum ſi Rector,& conſiliarij abeundi facultatem ipſis collegialibus,vel alicui eorum facere voluerint: liceat eis tempore peſtis,aut peſtiferi morbi petita venia á dicto collegio abire,& in tempore (vt præmittitur) reddire iacta prius ſorte vtri eorum profecturi,& permanſuri ſint.

De diſtributionibus quotidianis. lxxix.

¶ ITEM

¶ITEM cum omnes Collegiales dicti noſtri Collegii pauperes ſint, nec Collegium aliis patere debeat, eorum inopie occurrendum cenſemus. Volumus itaque & mandamus, vt vltra clamidem, & inſignia, & candelas, quæ omni anno habituri ſint ex Collegio vnicuique Collegialium dẽtur pro aliis neceſsitatibus ſubeundis mille marapetini monetę pro tempore currentis in regnis pro rata in fine cuiuſlibet menſis vnicuique ſoluendi.

De curſu in lectione faciendo, & veſte gradui debita. lxxx.

¶ITEM volumus, & mandamus, quod Collegiales aliquo gradu ſacræ Theologiæ, vel iuris Canonici, Ciuilis, vel Medicinæ conſtitutus curſum ſtatim facere, & legere in Theologia, vel iure Canónico, vel Ciuili, aut Medicina, ſub pœna priuationis Collegij annuatim teneatur, vt digniorẽ gradũ aſſequi poſsit. Si tamen Artium, vel Legum habuerit gradum, & curſare, vel legere voluerit, id ſibi pro eius arbitrio permittatur. Mandamus etiam, quod ſiquis Collegialium Doctor, Magiſter, vel Licentiatus in quacumque facultate extiterit: tempore gradus recipiendi, vel actus publice ſubeundi, & in diebus ſolennibus veſtibus honeſtis, & ſuo gradui, dignitatique conuenientibus vti poſsint. Alijs autem diebus habitum Collegialium non deſerat.

De ſeſsione Collegialium. lxxxj.

¶ITEM ſtatuimus, & ordinamus, quod in ſeſsione Collegialium graduatus non graduato præferatur, & inter graduatos, qui maiori gradu eſt inſignitus, puta Licentiatus Bachalario in reliquis vero antiquior in Collegió præter Rectorem, quem omnibus anteponẽdum cenſemus. Declaramus inſuper, quod antiquior in Collegio cum ad parem gradum cum iuniore peruenerit, eidem, licet prius graduato in omnibus præferatur.

Viſitator, & modus viſitandi. lxxxij.

¶ITEM ſtatuimus & ordinamus in viſitatorem dicti noſtri Collegij vnam dignitatem, vel canonicum dictę noſtrę Eccleſiæ Collegialis Valliſoletanæ per priorem & Capitulum pro tempore exiſtentes eligendum præſtito prius per eos interſe iuramento, quod omni poſt habito odio, gratia, amore, vel affectione, ſufficientiorem, & vtiliorem Collegio eligent: huic tamen iuramento volumus, & expreſſe mandamus, vt duo Collegiales noſtri Collegij ibi præſentes exiſtant qui quidem viſitator pari forma iuramentum præſtabit, quod perſonas, redditus poſſeſsiones, edificia, & bona Collegij viſitauit expenſarum rationem exiget, & ſi quid correctione, reparatione, vel ſatisfactione, indigere cognouerit: id præſenti Rectori in ſcriptis tradet, qui ſimul, & conſiliarij ea, quæ viſitator circa prædicta iniunxerit executioni mandabunt: dictus quoque viſitator cum primum officium ſuum exercuerit, iuramento in Capella noſtri Collegij aſtringatur, quod nullo modo, nec verbo, nec ſigno, nec alio indicio, quę in viſitatione ſciuerit, manifeſtabit. Viſitatio autem fiat ſine tabellione. Volumus etiam, quod huiuſmodi viſitatio fiat poſteaquam Rector eſſe deſierit exhibita ipſius per eum futuro Rectori omnium ratione: & ſi forſam Capitulum vel electus ab eo ſemel monitũ, ſiue monitus eligere, vel viſitare neglexerit, Abbas ipſius Abbatiæ pro tempore exiſtens, vel eius Prouiſor huiuſmodi viſitationem faciant: cui ſic electo viſitatori facultatem, & poteſtatem concedimus corrigendi, enmendandi, & multandi intra Collegium perſonas Rectoris, & Cõſiliariorum, & Collegialium. Ita tamen, quod mulcta, ſiue pœna pecuniaria impoſita delinquentibus nemini præterquam Collegio applicari poſsit. Quam quidem pœnam ſiue multã corporalem vel pecuniam reliqui Collegiales exequi teneantur: Quod ſi minus diligenter ſe geſſerit, aut rebelles fuerint in huiuſmodi executione facienda, á viſitatore præmoniti á Collegio priuati exiſtant. Viſitatio autem á die ſancti Michaelis vſque ad vltimum diem menſis Nouẽbris celebretur quolibet anno. Volumus inſuper, quod huiuſmodi viſitator pro ſuo ſalario ex redditibus Collegij quatuor florenos auri de Aragonia currentis monetæ annuatim per

cipiat. Cæterum ſi quiſpiam eorum, quos ad huiuſmodi viſitationem faciendam nominamus, vt præmittitur ea ſacere, & exequi tenuerit, aut (quod Deus auertat) malignè in ea geſſerit, aut odio vel gratia, ira, vel amicitia procedere viſus fuerit, ita, vt ipſa viſitatio Collegio pernitioſa potius, quam vtilis futura ſit, idque omnibus Collegialibus, vel duabus eorum partibus iuramento adactis manifeſtum fuerit: tunc eis vnum presbyterum ſeculare͂, quem Archiepiſcopus Toletanus intra oppidum duxerit eligendum, vel aliunde, præſtito prius iuramento, vt ſupra, in viſitatorem, cum ante dicto ſalario recipi permittimus, prouiſo quod talis presbyter, vel ſecularis ætate annorum triginta excedat.

De pœna a viſitatore imponenda. lxxxiij.

¶ITEM viſitator dum viſitationem fecerit, ſi compertum habuerit Rectorem, & conſiliarios minus bene ſe geſſiſſe: neque adminiſtrationem Collegij, & bonorum eius (vt eos decebat) debitæ exercuiſſe: mediante iuſtitia, damna, & detrimenta Collegij eum: qui in culpa fuerit reſarcire cogat, vel alias pœna corporea afficiat, vt in conſtitutione viſitationis continetur.

Quod collegialis nouiter receptus clamide͂ emere teneatur. lxxxiiij.

¶DECERNIMVS etiam, quod quilibet Collegialis electus admiſſus in Collegio infra menſem poſtquam admiſſus fuerit ſua impenſa clamidem, & inſignia emere cogatur, vt ad alios ſe co͂formet, nec illis diſsimilis videatur. Idem in familiaribus iubemus, ſcilicet quod ſuis impenſis clamidem emere cogantur.

De Medico & Barbitonſore. lxxxv.

¶STATVIMVS inſuper, quod liceat Collegialibus habere Medicum ſalariatum extra Collegium, quem magis expedire viderint, qui vna cum Medicis dicti noſtri

Collegij infirmorum curam gerat, cuius electio ad omnes Collegiales, vel eorum maiorem partem expectet. Quod etiam de Barbitonſore cenſemus faciendum.

De Miſſa certis diebus in Capella Collegij cantanda. lxxxvj.

¶ VOLVMVS præterea, quod in diebus ſolennibus, ſcilicet Natiuitatis, reſurrectionis, Penthecoſtes, & in ſolẽnitatibus beatæ Virginis Mariæ, ſcilicet, Annuntiatione, Aſſumptione, Natiuitate, Conceptione, Expectatione, & Purificatione. Item in diebus Circunciſionis, Epiphaniæ, ſancti Marci, Aſcenſionis, Sanctę Crucis, Petri & Pauli, Ioãnis Baptiſtæ, Beati Iacobi Zebedei, & in ſolẽnitate omniũ Sanctorum Miſſa in Capella noſtri Collegij alta voce cantetur. Volumus etiam, quod collegialis qui ad audiendum Euangelium non venerit, dum diuina celebrantur, multa vnius aſsis ei imponatur. Et ſi cum corpus Dominicum adorandum oſtenditur populo, non venerit: á vino illius prandij priuetur ſine aſsis ſolutione. Præterquam ſi infirmitate grauetur, aut venia impetrata á Rectore, aut Lector ea hora in ſcholis fuerit.

Circa familiares. lxxxvij.

¶ ITEM ſtatuimus, quod cum familiaris fuerit eligendus, præbendam infra viduum á die vacationis per Rectorem denũtietur vacare cum certo dierum numero arbitrio Rectoris conſtituendo, ac etiam ſi viſum fuerit prorogando infra quem volentes valeant ſe opponere, quo elapſo præmiſſo tractatu in Capella dicti Collegij fiat electio ſecrete per ſchedulas.

Reſeruat quidquid fuerit addendum, vel mutandum in conſtitutionibus. lxxxviij.

¶ ITEM quouiam ſecundum varietatem temporũ non nunquam ſtatuta variantur humana. Volumus & ſtatuimus

quod

quod ſi quicquam in his noſtris Conſtitutionibus dubij, aut interpretationis emerſerit, aut addendum mutandum, vel minuendum, ſeu amouendum fuerit. Nobis tantummodo reſeruari debere, nec per ędictionem harum noſtrarum Cōſtitutionum nobis poteſtatem, aut facultatem adimi, addere aliquid, mutandi, amouendi, corrigendi, addendi, vel minuendi cum temporis neceſsitas, aut rerum qualitas id exegerit. Et quoniam noſtrę intentionis eſt mores ſcholarium in melius reformare non conſcientias eorum pręgrauare: ſcrupuloſis animis laqueum remorſus adimentes. Volumus, & declaramus has noſtras Conſtitutiones ad pœnā tantum temporalem, non ad peccatum quempiam obligare præter illas, quarum tranſgreſsio ſine peccato eſſe non poteſt, aut ſi quis (quod Deus auertat) earum contemptor extiterit: exceptis hiis, in quibus expreſſe continentur hæc verba, quod obligent in foro conſcientiæ.

Conſtitutio Medicorum. lxxxix.

¶VOLVMVS præterea, & Medicorum Collegialium ſtudio, & quieti conſulere, quod nullus Medicorum in noſtro Collegio commorantium antequam Licētiatus, vel ſaltem Bachalarius repetitus in Medicina exiſtat, infirmos curare, vel viſitare per oppidum poſsit. Permittimus tamē, quod Collegiales, vel familiares dicti Collegij curare poſſit, & quod intra Collegium conſilia, receptas, & regimina abſque inſpectione vrinarum reddere petentibus exteris queat. Poſtquam tamen Licentiatus, vel Bacchalarius repetitus in Medicina extiterit, ſi ad viſitandum infirmos per oppidum incedat, quempiam Collegialium, comitem non habeat, præterquam alium Medicum, & ſi ad Collegiū (vt ſit) vrinę deportentur, non poſsit illas intra ſecundam portam domus aſpicere, ſed in pauimento anteriori Collegij, quod ſi ſecus fecerint, á Collegio priuatos eſſe cenſemus ipſo facto, & in foro conſcientiæ ad omniū poſt dictam trāſgreſsionem perceptorum reſtitutionem teneri. Si quis vero Collegialium violatorem huius Conſtitutionis quouis modo cognouerit, illico Rectori, & Conſiliarijs denuntia-

reteneatur,alias portione vnius anni etiam in foro conſciẽtiæ priuatus exiſtat,& idem ſi talis ipſum Medicum ad viſitandum infirmos per oppidum committetur.

Quod officiales Collegij vltra mille marapenos mutuo non recipiant. xc.

¶ ITEM Statuimus,quod Rector, ſeu diſpenſator tam ordinarius,quam extraordinarius eorum durante officio vltra mille marapetinos ſimul, vel ſucceſsiue de pecunijs Collegij mutuo non recipiant in proprios vſus. Quodque ſi collegialis,ſiue officialis ante dictus, ſiue alius quicumq; pecuniam aliquam collegio debuerit,infra duodecim dies á creatione noui Rectoris illam ſoluere teneatur, quod ſi non fecerit tandiu á menſa collegij priuatus exiſtat,quoad debitum in numerata pecunia integre perſoluat.

Si collegialis poſt clauſum hoſtium venerit, anliceat hoſtium aperiri. xcj.

¶ ITEM ſtatuimus, honeſtati collegialium cauentes, quod ſi collegialis quiſpiam ab oppido,ſiue aliunde poſt clauſum collegij hoſtium venerit,ne vagandi per oppidum ei detur occaſio: liceat Rectori cum conſiliarijs,vel eorum alter hoſtium aperire,dum tamen altera trium noctium,de quibus in alia noſtra conſtitutione cauetur,eidem (vt præmittitur) admiſſo debeat imputari.

Pœna Collegialis contra mandatum Rectoris per vim portionem auferentis. xcij.

¶ ITEM volumus, & ſtatuimus, quod omnes collegiales Rectori obtemperent,pœnamque ab eo impoſitam ferant patienter. Si quis vero huiuſmodi pœnam,ſiue multã, aut menſe priuationem iuſta tenorem noſtrarum conſtitutionum ſubire recuſauerit,videlicet per vim portionem collegij arripiendo contra mandatum Rectoris,ipſo facto á collegio priuatus exiſtat, quam priuationem collegiales

illico exequi teneantur.

¶ ITEM ſtrepitum,& murmur collegij,& alia incommoda ex infra ſcriptis orientia vitare cupiẽtes precipimus & expreſſe inhibemus,ne quiſpiam collegialium ſuam, aut cuiuſpiam alterius mulam per diem,nec noctem intra collegium,& eius clauſuram vltra horam teneat,vel includat: Quod ſi ſecus fecerit,&ter monitus non deſtiterit,inſignis, & portione collegij per annum careat.Quod ſi denuo in eo deliquerit,pari pœna puniatur:tertio vero,á collegio abſque vlla ſpe veniæ expellatur.

¶ IN quorum omnium fidem præſentes manu propria ſubſcriptas noſtro pendenti Pontificali ſigillo, mandamus communiri.Datis in ciuitate Guadalfatare noſtræ Toletanæ dioceſis,ſub anno á Natiuitate Domini milleſimo,quadringenteſimo nonageſimo quarto,pridie Kalen.Septembris,ſedente Romæ Alexandro diuina prouidentia Pontifice maximo,tertio Pontificatus ſui anno. Præſentibus ibidẽ Reuerendo Patre Domino Ioanne de Leon Apoſtolicæ Sedis Prothonotario,Decano,& Canonico Toletano, Magiſtro domus,&Fernando del Caſtillo Canonico ſimiliter Toletano,& Bartholomeo de Medina Camerarijs, ac continuis commenſalibus,& familiaribus dicti Reuerendiſsimi Domini Cardinalis,nec non circunſpectis,& egregijs viris Alfonſo Martini de Najera,& Petro Colina Doctoribus in Medicina,teſtibus ad editionem,conceſsionemque harum Conſtitutionum,& alia præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

IN nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quoniam ſecundum fragilitatem humanam nulla lege quantumcunque perfecta poteſt prouideri circa omnes caſus futuros, & ſemper eſt neceſſaria legũ ęditio. Ideo nos Rector, & Collegiales huius Collegij Sanctæ Crucis volentes obuiare diſpendis huius domus & quieti Collegialium conſulere ſequentia edidimus Statuta.

Quod exterus non inuitetur in Refectorio. Primum.

¶PRIMO, Igitur ſtatuimus & ordinamus, quod nullus exterus poſsit inuitari, vt prandeat in refectorio, niſi cõcors Collegialium acceſſerit conſenſus, id eſt maioris partis Capituli.

Quod portio non reſpuatur. ij.

¶ITEM ſtatuimus, quod ſi portio fuerit delata pro aliquo Collegiali, nequeat ſine rationabili cauſa ipſam reſpuere, niſi prædixiſſet diſpenſatori minori, quod nolebat portionem pro illo die vel nocte.

Quod portionarius præſit portionum factioni. iij.

¶ITEM ſtatuimus, quod portionarius collegialis teneatur quotidie intereſſe tam in aurora, quam in veſperi ponderationi portionum ne Collegiales, vel Collegium patiantur aliquam iacturam.

De præſentia ponderationis panis. iiij.

¶ITEM

¶ ITEM Statuimuss, quod collegialis curam gerens pro pane cocto teneatur adeſſe tempore, quo diſpenſator minor panem recipit á panifica, vt rationem exploret, & pondus panis, & an expediat recipere, vel dimittere cernat.

Quod ianua Collegij non aperiantur ante lucem. v.

¶ ITEM ſtatuimus, & ordinamus, quod ianua Collegij nũquam aperiatur, antequam claritas diei appareat, niſi forte aliquis Collegialium iuſta, & rationabili cauſa compulſus aliud poſcat: tum demum fiet impetrata venia a Rectore.

Quod nullus Collegialium ferat veſtem ſericam. vj.

¶ ITEM ſtatuimus, quod nullus collegialium poſsit afferre intra collegium toracem, vel alias veſtes ſericas, niſi per ſpacium vnius horæ antequam diſcedat, vel poſt aduẽtum, niſi forte reddierit vna hora ante noctis tenebras, vel in diebus ſolennibus á Conſtitutione permiſsis, vel quando collegialis gradum ſuſcipit Doctoratus.

De veſte pellicea. vij.

¶ ITEM ſtatuimus, quod nullus egrediatur collegium indutus veſte pellicea patentibus manicis, quam vulgo appellamus çamarro.

De ſindico habendo. viij.

¶ ITEM ſtatuimus, vt collegium ſemper habeat deputatum ſindicum exterum, qui gerat ſolicitudinem rerum & cauſarum domus, & lites ſuſcipiat, & forum adeat.

De pecunia Collegio debita. ix.

¶ ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod ſi aliqua ſchedula de cambio ad pecuniam collegij expectans detur receptori dicti Collegij:& intra viginti dies pecuniam nõ recuperauerit,teneatur denuntiare illud Rectori,quod ſi ſecus fecerit,ſoluat pecuniam contentam in dicta ſchedula, aut quod ſuperfuerit ſoluendum. Rector vero,& conſiliarij, ſi infra prædictum terminum fuerint moniri,nec ſindico iniunxerint,vel intra alios decem dies mandauerint, vt pecuniam in ſchedula comprehenſam recuperet, teneantur ad ſolutionem dictæ pecuniæ,quod ſi ſindico fuerit iniũctum, & ſua culpa aut negligentia non recuperetur, ſindicus teneatur ad ſolutionem.

De victu emendo in platea maiori. x.

¶ ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod diſpenſator minor teneatur ire ſimul cũ familiari hebdomadario ad emendum victui neceſſaria,illaque emant in platea maiori,niſique minimo pretio ſint emenda,alioquin á Rectore puniãtur,& quilibet collegialium ſciens contrarium fieri,Rectori denuntiet.

De electione familiarium ·xj.

¶ ITEM ſtatuimus,quod familiares dicti Collegij ad annum tantum eligantur, nullo excepto,etiam diſpenſatore minori:habeantque quolibet anno nomine ſalarij clamidem burielis panni pretij centum marapetinorum pro qualibet menſura.

De clamide,& diſtributionibus familiaribus dandis. xij.

¶ ITEM ſtatuimus, quod clamis detur die beati Michaelis dictis familiaribus. Cæteræ vero diſtributiones pro rata temporis.

De ſalario diſpenſatoris,& focarij. xiij.

¶ ITEM

¶ ITEM Statuimus, quod diſpenſator minor, & coquus teneantur ſeruire Collegio per ſpacium quatuor menſium antequam detur illis aliqua portio nomine ſalarij, tunc tantum pro tempore præterito detur.

Quod familiares iurent Rectori. xiiij.

¶ INSVPER ſtatuimus, quod omnes familiares iurẽt de obediendo Rectori, & de ſecreto domus conſeruãdo circa ea, quæ viderint, aut audierint, aut quomodolibet ſciuerint á Collegialibus fieri, alioquin ſine ſpe veniæ expellantur á Collegio. Præſtent præterea iuramentum, quod res domus cuſtodient fideliter, & ſi ab aliquo confamiliari aliqua ſciuerint donari, aut conſummari, teneantur inſinuare Rectori.

De familiarium profectu. xv.

¶ PRÆTEREA ſtatuimus, quod prædicti familiares ſint diligentes circa profectum lectionũ, & ſtudij, alioquin puniantur á Rectore. Et ſi viderit magnam fore eorũ negligentiam, poſsit eos á Collegio expellere.

De licentia annua familiarium. xvj.

¶ ITEM ſtatuimus, quod familiares poſsint habere quolibet anno duos menſes abſentiæ, ſi Rectori viſum fuerit, ſibi fore neceſſariũ, vel vtile. Et ſi vltra prædictos duos menſes voluerint abeſſe poſsit cum venia Rectoris, & cõſiliariorum vrgente iuſtiſsima cauſa alium habere menſem.

De ſtationario decimum ſeptimum.

¶ ITEM ſtatuimus, quod ſtationarius teneatur quolibet die lectiuo ſtare in bibliotheca per ſpaciũ duarum horarum, vna immediate ante prandium, alia poſt ſecundam horam poſt meridiẽ, alioquin portione illius diei priuetur.

In abſentia Rectoris à quo petatur venia abſentandi. xviij.

¶ITEM ſtatuimus,quod quando aliquis Collegialis voluerit ſe abſentare extra oppidum Valliſoletanum & Rector fuerit abſens,ita quod nō poſsit petere veniam ab eo: poſsit eam petere ab antiquiori conſiliario. Et ſi ille abfuerit,á ſequenti in gradu,& ſic de vlterioribus:& ſi omnes cōſiliarios abeſſe contigerit prædictam veniam concedat antiquior Collegialis,& illo abſente vlterior,& ſic de ſimilibus.

Quomodo amittat Collegium abſens. xix.

¶ITEM ſtatuimus,quod ſi alicui Collegiali detur venia certi temporis,dum tamen non ſit totum tempus quatuor menſium,& vltima die non venerit:ſi tamē venerit ſequenti die ante ianuam clauſam non admittat Collegium.

De Collegiali ſe abſentante. xx.

¶ITEM ſtatuimus,quod ſi aliquis Collegialis in totū diſcedat á Collegio,teneatur reddere integram rationem ſuæ adminiſtrationis,ſi quam geſsit cum ſufficienti pignore vel fideiuſſore.

De reponenda re Collegij in camera Rectoris. xxj.

¶ITEM Statuimus,quod quandocunque Collegialis aliquam cappam vel baliſiam domus,vel quid ſimile ſecū tulerit,poſtquam domum reddierit infra vnum diem naturalem teneatur deponere in camera Rectoris;quod ſi ſecus fecerit,tamdiu portione menſe careat, donec cum effectu hoc adimpleat.

Quod exterus non ringrediatu durante clauſura. xxij.

¶INSVPER ſtatuimus,& ordinamus,quod nullus exterum etiam ſi ſit Collegialis,vel familiaris,vel portionarius poſsit aliquo modo intromittere in domū ab ea hora,

qua

qua pulſatum fuerit ad prandium vſque ad ſecundam horã poſt meridiem, niſi Rector diſpenſauerit, quod ſi familiaris eum intromiſerit, acriter á Rectore puniatur, itidem fiat de ianitore, ſi eius in curia fuerit ingreſſus.

De pottionibus familiarium. xxiij.

¶ ITEM Statuimus, quod familiaris, focarius, & diſpenſator habeant integras portiones, inter reliquos vero familiares vna minuatur hoc pacto, quod ſi ſunt ſex familiares, habeant quinque portiones: ſi ſunt quinq; familiares habeãt quatuor portiones: Si vero fuerint quatuor familiares, vel pautiores quilibet habeat integram portionem. In feſtiuitatibus vero quibus dantur aues collegialibus, dentur eis, ſed tantũ duobus familiaribus, ſicut vni Collegiali.

De menſario, & coquo. xxiiij.

¶ ITEM ſtatuimus, quod coquus, & menſarius teneantur quolibet menſe reddere rationem Rectori. vel cui ipſe commiſerit, de eis, quorum curam gerunt.

De collatione in die ieiuniorum. xxv.

¶ PRÆTEREA ſtatuimus, quod in diebus in quibus indicitur ieiunium ab eccleſia, non fiat collatio in eſtate vſque ad horam quintam, in hyeme vſque ad horam octauã.

Quo ordine familiares iter facere teneatur. xxvj.

¶ Item ſtatuimus, quod familiares, qui ad itinera pro collegio facienda ſunt deputati, pares dies in itinere cũſumere teneãtur, ita quod qui pautioribus diebus pro collegio abſens fuerit, primũ iter agere teneatur, etiã ſi pluries iter fecerit, quouſq; alios in dicta abſẽtia ſuperet, vel fiat æqualis, verũ ſi plures eorũ in abſẽntijs pares reperti fuerint, arbitrio Rectoris, & conſiliariorũ, vel maioris partis eorum,

quis iter agere teneatur,relinquatur. Prouiſo quod familiaris nouiter receptus,primum iter agere teneatur,quo itinere peracto par ceſſeatur in abſentia omnibus anterioribus, & ne in computatione dictorum dierum error aliquis contingat,Rector eorum abſentias ſcribere teneatur,niſi aliud eis viſum fuerit.

De portionariis precibus non admittendis. xxvij.

¶ INSVPER Statuimus,quod nullus ſcholaris admittatur ad portionem Collegij precibus,aut cuiuſpiam interceſsione,quod ſi contrarium actum fuerit,illa viſe ſit inhabilis ad dictam portionem conſequendam.

Quando paria ſunt vota eligentium quid faciendum. xxviij.

¶ ITEM ſtatuimus,quod quando in electione, quæ fit Rectoris,& conſiliariorum duo,vel plures collegiales fuerint equales in ſuffragijs,& inter eos ſit omnimoda paritas, eo quod Rector,& conſiliarij omnibus adhæſerint,vel nulli eorum,qui ſunt in paritate ſuffragium præſtiterint : tunc antiquior Collegialis ſuum votum detegat,& cui ille adheſerit in ſortē Rectoris aſſumatur,& ſi antiquior Collegialis nulli,vel omnibus,qui ſunt in paritate adhæſerit, ita quod ſemper pares remaneant:tunc ſequens in gradu ſuum votum aperiat,& ſic de cæteris:& idem in alijs electionibus cuſtodiatur.

Quid quando Rector vni,& Conſiliarij alij ſuffragantur. xxix.

¶ QVONIAM circa electionem Rectoris ex conſtitutione quæ circa eam loquitur,orta eſt inter Collegiales dubitatio,ſi forte ſuffragia eligentiū ad duos pariter dirigantur:& vni illorum duo forta ſsis Rector cum vnico conſiliario,alteri vero tres cōſiliarij ſua vota preſtauerint,vter iſtorum in electione Rectoris vendicandus eſt:ſtatuimus illum in Rectorem aſſummi debere,cui tres conſiliarij adhæſerint abſque ſpeciali declaratione votorum.

Men-

Menſes licentiæ quomodo intelliguntur. xxx.

¶PRÆTEREA ſtatuimus, quod menſes conceſsi per conſtitutionem tã pro abſentia neceſſaria, quã voluntaria Collegialibus computentur hoc modo, quod primus menſis habeat triginta dies, & vnum: ſecundus triginta, & ſic de cæteris.

Quando panni emuntur viliori pretio. xxxj.

¶INSVPER ſtatuimus, quod ſi panni emuntur pretio viliori, quam conſtitutione cauetur, reſiduum prætij ſuppleatur collegialibus, quemadmodum econtra Collegiales coguntur reſtituere Collegio, ſi contingat fieri emptionem maiori pretio.

Quod graduandus non præſtet Doctoribus prandium. xxxij.

¶PRÆTEREA ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Collegialis tempore, quo aſcendit ad gradum Licentiati, vel Doctoratus, poſsit Doctoribus, Magiſtris, vel Licentiatis vniuerſitatis prandium præſtare (prout ante fieri ſolebat) quod ſi quiſpiam auſu temerario hoc ſtatutum fuerit tranſgreſſus, abſque vlla venie ſpe á Collegio expellatur, vt compoſitiones, quæ inter Collegium, & vniuerſitatẽ fuerunt factę, & omnia priuilegia tenatius obſeruentur.

Collegialis debitor cautionem præſtet. xxxiij.

¶STATVIMVS præterea, quod omnes Collegiales debitores Collegij ex quacũq; ratione, vel cauſa teneantur quolibet anno cautionem debitorum ponere in libro rationum domus, vel in alio libro adhoc deputato, & nominibus proprijs ſubſcribere. Et ſi debitor principalis abfuerit, idẽ faciat fideiuſſor eius, cuius executio incũbat Rectori, &

conſiliarijs. Et Rector, & conſiliarij nomina propria ſubſcribant tanquam teſtes: quod quidem facere teneantur infra duodecim dies á die beati Michaelis, quo tempore debent domui debita perſolui, quod ſi hoc nõ fecerint, ſequẽti anno debita, quæ ſic (vt præmittitur) ſcripta & ſubſcripta non fuerint in rationibus reddendis minime recipiãtur: quod ſi Collegialis hoc facere renuerit, amodo ei alimenta denegentur, ita quod nec expenſis domus, nec proprijs vitæ neceſſaria percipiat, donec prædictam cautionem fecerit, & ſubſcripſerit, & inſuper Rector conſiliarij, & collegiales faciant executionem in bonis ſuis pro debito.

De graduato præferendo antiquiori non graduato. xxxiiij.

¶INSVPER Statuimus, quod quando contingerit, quod collegialis iunior in ingreſſu fuerit præditus maiori gradu, præferatur conſiliario, vel antiquiori collegiali in ſeſsione, ſuffragio, & ſubſcriptione. Ita quod Conſtitutio lxxxij. de graduato præferendo non graduato verificetur in his tribus: in reliquis vero antiquior in ingreſſu præferatur inſuper & in ingreſſu á domo ita quod ſint quatuor caſus, in quibus graduatus iunior præfertur antiquiori.

De electione Viſitatoris. xxxv.

¶PRÆTEREA ſtatuimus, quod Viſitator deputandus collegio ab eccleſia maiori non poſsit eligi vno anno poſt alium, quia ex hoc multa incommoda oriebantur collegio, & hoc ipſum conſtituit Capitulum dictæ eccleſiæ.

De inſignito ſacris ordinibus in familiarem non eligendo. xxxvj.

¶INSVPER Statuimus, quod nullo ſacro ordine inſignitus poſsit admitti ad familiarium præbendã, quia indecorum eſt, quod mancipatus diuino obſequio compellatur officijs domus deſeruire, & ſi iam familiaris conſtitu-

tus ſacrum ordinem conſecutus eſt, poſtquam prouiſio illius anni ſic finita, denuo non poſsit ad dictum offaciũ familiaris admitti.

De oppoſitionibus ad cathedram. xxxvij.

¶ PRÆTEREA ſtatuimus, quod nullus Collegialiũ præſentium, vel futurorum auſus ſit ſe opponere ad cathedram, vel ſubſtitutionem in hanc Vniuerſitate vacantem ante, vel poſt electionem capellæ ſi plures contẽderint: niſi is, quem capella elegerit. Contrarium vero faciens ipſo facto á Collegio priuatus exiſtat abſque vlla ſpe veniæ.

Locus originis quomodo intelligitur. xxxviij.

¶ INSVPER ſtatuimus, quod ſeptima Conſtitutio diſponens quod ex vna ciuitate, & loco vnus: ex vna diœceſi duo tantũ excepta diœceſi Toletana, ex qua tres collegiales poſſunt admitti ſimul, attẽto quod locus in quo aliquis ortus fuerit á loco originis alterius quatuor leucis ſaltẽ diſtet. Statuimus autem quod dicta conſtitutio intelligatur, & practicetur, quod locus originis intelligatur dummodo non ſit per tranſitum natus alibi, quam vbi pater habet domicilium.

Quod Rector non faciat Capellam extraordinariam. xxxix.

¶ INSVPER ſtatuimus, quod Rector vltra ordinarias capellas nullam poſsit facere capellam niſi de conſenſu cõſiliariorum vel maioris partis eorum, & ſi contrarium fecerit: capellæ actus ſit nullus.

Quomodo terminus præbendarum claudatur. xl.

¶ PRÆTEREA Statuimus, & ordinamus, quod terminus præbendarum vacantium, nec claudi, nec finiri poſ

ſit,niſi prius oppoſitorum informationes ſeu inquiſitiones in cappella legantur,& de habilitate oppoſitorum diſcutiatur,taliter quod declarentur,qui ſunt habiles,quo cognito Collegiales poſsint ſua vota præſtare pro concluſione,vel prorogatione præbendæ:& ſi aliter fieri contingat,id pro nullo habeatur,& præbenda habeatur pro prorogata per alios viginti dies,& hoc obſeruari volumus, quoties huius ſtatuti tenor fuerit prætermiſſus.

Quod familiares ſex annis tantum poſsit elegi. xlj.

¶RVRSVS Statuimus, quod familiares non poſsint eligi,niſi per ſex annos,niſi omnibus collegialibus aliud viſum fuerit. Si enim poſt ſex annos impletos omnes Collegiales nemine diſcrepante conueniant,viſa familiaris virtute decernimus pro eo ſchedulas dari.

Semel Rector infra biduum, &c. quomodo intelligitur. xlij.

¶PRÆTEREA ſtatuimus,& ordinamus,quod Conſtitutio xxiiij. quæ diſponit,quod Rector electus finito officio non poſsit iterum eligi,niſi duobus annis elapſis, quod eodem modo non poſsit eligi in vice Rectorem,niſi dictis duobus annis elapſis,ſed ſi fuerit ſecundo anno conſiliarius antiquior poſsit per quindecim dies eſſe vice Rector ſecundum Conſtitutionis tenorem.

Quomodo acquiruntur clamis, & inſignia. xliij.

¶ITEM Statuimus,quod Collegialis,qui in die beati Michaelis abfuerit electioni Rectoris,& conſiliariorum,antequam Rector nominetur,careat veſte,& focali. Si vero ante Rectoris nominationem venerit,& poſt nominationẽ quatuor electorum,veſte,& focali non careat: ſuffragium tamen præſtare non poſsit,niſi venerit ante illorũ quatuor nominationem.

Dies in Conſtitutione qualiter intelliguntur. xliiij.

¶ITEM

¶ITEM quia Conſtitutio xxxvj. quæ de tempore abſentiæ loquitur, diſponit, quod elapſo tempore conceſſo abſentiæ voluntariæ, vel neceſſariæ, ſi non reddierit collegialis á Collegio priuatus exiſtat: & quoniam in dicta Conſtitutione non declaratur, qualiter dies dictæ abſentiæ cõnumeretur: ideo dictam Conſtitutionem declarando ordinamus, quod quælibet nox cum die ſequenti pro vno die computetur. Et ideo ſi elapſis ſexaginta noctibus abſentiæ voluntariæ, vel centum & viginti noctibus abſentiæ neceſſariæ, in die ſequenti antequam hoſtium Collegij claudatur, venerit collegialis, in termino veniſſe intelligitur, vnde á Collegio non erit priuatus. Et hæc computatio, vt quę libet nox cum die ſequenti pro vno die habeatur, volumus quod fiat in qualibet abſentia collegij, ſiue ſit pro negotijs domus, ſiue alio quouis modo.

Quid ſi intra terminum ſibi conceſſum non reddierit Collegialis. xlv.

¶INSVPER quia dicta conſtitutio. xxxvj. tantum loquitur quando Collegialis petijt abſentiam voluntariam, vel neceſſariam integram: quia tunc ſi non reddierit in termino, amittit collegium, & eſt ratio, quia nec potuerunt petere, nec ſibi potuit cõcedi maior terminus. Sed vbi collegiali petenti, vel pro negotijs domus miſſo minor terminus fuit conceſſus, quam ipſe potuiſſet petere: nec in dicto termino reddierit. Et quia dicta conſtitutio non declarat, & poſſet dubitari ſi ſine iuſta cauſa non venit, an ſtatim priuetur á collegio: Ideo ſtatuimus, & ordinamus, quod elapſo dicto termino poſsit vti tribus noctibus, quæ collegialibus conceduntur per conſtitutionem. xliiij. & ſic remedium illius quadrageſsimæ quartę Conſtitutionis non auferatur, imo potius eo vtatur.

A graduato Collegiali quid graduando remittendum ſit. xlvj.

¶PRÆTEREA ſtatuimus, & ordinamus, quod quã do aliquis Collegialis gradũ licentiæ Doctoratus, vel Magiſterij ſuſceperit: Doctores & Magiſtri actu Collegiales

exi-

exiſtentes teneantur tali licentiando, doctorando, vel magiſtrando remittere aureum, qui vulgariter Caſtellanus dicitur quem vt doctori, vel Magiſtro talis graduandus, ſoluere tenebatur. Alia vero iura quæcunque illa ſint, ſiue in prædictis gradibus licentiæ, doctoratus, vel magiſterij, ſiue in alijs quibuſcunque actibus ſcholaſticis prædictis Doctoribus, vel Magiſtris in Collegio exiſtentibus, vt aliis quibuſcunque perſoluantur.

De termino prouiſionis præbendarum vacantium, ac prorrogationis eius. xlvij.

¶ PRÆTEREA, ſtatuimus, & ordinamus, ne diu præbendarum prouiſio contra conſtitutionis mentem differatur, quod quam primum paæbenda aliqua vacare contigerit, protinus denuntietur publice in ſcholis huius vniuerſitatis, ac Salmañ. cum aſsignatione termini viginti dierum in Conſtitutione contentorum, quibus elapſis, ſi viſum fuerit, ſecundo præbendam per noua edicta in dictis vniuerſitatibus vacare denuntietur cum aſsignatione termini triũ mẽſium, & in ædictis expreſſe caueatur, quod volentes, & debẽtes ſe opponere intra prædictũ terminum hoc faciant. Quo quidem termino elapſo præbendæ prouiſio ad oppoſitorũ informationes tantum faciendas, & in capella legẽdas per alios tres menſes prorogetur. In quibus vltimis tribus menſibus nequaquam cuiuſquam oppoſitoris admittatur oppoſitio, preterquam ſi viſum fuerit omnibus collegialibus, vel ſaltem duabus eorum partibus ternario numero diuidẽdis. Quibus elapſis, infra decẽ dies ſequentes omni ſpreta contraditione fiat electio iuſta Conſtitutionis tenorem.

Declaratio Conſtitutionis quartæ.

¶ ITEM quia ex Conſtitutione quarta, quæ diſponit, quod electus antequam admittatur, iuramentum preſtet ſe non habere in redditibus, ex beneficio, vel patrimonio, vel ſimul ex vtroque ſummam vigintiquinque florenorum, & ſi tempore quo in dicto Collegio futurus eſt, vltra dictã ſummam ſibi acceſsio fiat, Rector, & Collegialibus manifeſtabit. Et ſi vltra dictam ſummam repertus fuerit habere, ip-

ſo

ſo iure ad reſtitutionem teneatur Collegio faciendam. ¶Aliqua oriebantur dubia:declaramus primo, quod Collegialis non teneatur exiri á Collegio propter quoſcunque redditus ſibi obuenientes.¶Secundo,quod teneatur ad reſtitutionem faciendam Collegio eorum,quę occaſione ipſius Collegium expendit,aliasnon conſumpturum: ¶Tertio,quod moderatio ſumptuũ relinquatur diſpoſitioni Rectoris,& Collegialium:quam moderationem teneantur facere infra menſem á creatione Rectoris.Executio vero fiat poſt feſtum ſanctiMichaelis(vt aliorum debitorũ mos eſt) & vt negotio,vel aliquorum indignationi non relinquatur locus:fiat dicta muneratio in Capella excluſo eo,quem negotium tangit(vt moris eſt)& ſub pœna præſtiti iuramenti aſtringantur Collegiales,quod nullius ſuffragium reuelabitur.Declaramus etiam,quod pro rata temporis de prædicta moderatione ſumptuum deducantur dies,quibus illo anno Collegialis fuerit abſens,ſiue pro negotijs proprijs, ſiue domus.Item ſi dictus Collegialis malljt reddere ſuos redditus,quos habet vltra vigintiquinque florenos, quam pacti dictam moderationem,quod poſsit hoc facere &hoc anno á Natiuitate Domini Milleſimo Quingéteſimo Quadrageſimo ſecundo fuerunt taxati prędicti ſumptus pro anno præterito nouem mille nummis,ſeu maropetinis.

Ex conſtitutione. xviij.

¶ITEM quia ex conſtitutione.xviij.quæ vult, quod ſi contigerit Collegialem vltimo anno ſui exitus á Collegio in Rectorem,ſeu conſiliarium eligi,permaneat vſque ad finem anni,quo finito,&ratione officij reddita á Collegio abſolutus exiſtat.Dubium fuit,quæ ratio,& intra quod tẽpus dicatur reddita.Declaramus inuentarij,ordinarij,&extraordinarij,omniumque expenſarum rationem fore reddendam quam intra viginti dies á creatione noui Rectoris expedire opportet, vt in Conſtitutione vigeſima ſeptima continetur.Et tunc Collegialem eſſe á Collegio abſolutũ.

Extenſio Conſtitutionis. Ij.

¶ ITEM ſtatuimus,& ordinamus,quod quotieſcunque canonicatus,dignitas,ſeu quodlibet aliud beneficium vacare contigerit,quæ Doctoribus, Magiſtris, ſeu Licentiatis per viam oppoſitionis ſolent prouideri:electio oppoſitoris fiat iuxta formam traditam per Conſtitutionem.lj.& ſtatutum.xxxvij.in oppoſitionibus cathedrarum:hoc excepto,quod ſi plures contenderint ſuper oppoſitione, in præſentia Collegialium legere non teneantur, eo quod nota ſoleat eſſe apud alios vniuſcuiuſque Collegialis ſufficientia. Illud etiam addendum ſenſuimus quieti, & libertate Collegialium cõſulentes,vt nullus Collegialis alium Collegialem precibus,ſubornationibus,vel alio quouis modo ſollicitare valeat,vt ſibi,vel alij votum,ſeu ſuffragiũ præſtet. Contrarium vero faciens,pœnam illam incurrat,quæ violatoribus xv. Conſtitutionis poſita eſt in clauſula cæterum. Permittimus tamen, quod ſuper oppoſitione cõtendentes in præſentia Collegialium in Capella exiſtentium poſsint, ſi velint,ea,quæ iuſtitiam ſuam circa oppoſitionẽ inſtruũt, breuiter enarrare,alio ſiue alijs contendentibus excluſis, quibus ſimiliter extra Capellam eiectis, fiat electio oppoſitoris iuxta formam in Conſtitutione rraditam. Ita tamen quod nullus Collegialis ea,quæ circa electionem oppoſitoris acta fuerint in Capella,vel numerum votorum alicui ex contendentibus,vel alij cuicunque manifeſtare quouis modo præſumat:& adhoc tanquam ſecretum Capellæ obſeruandum Collegialis aſtringi volumus,etiam ſi per Rectorem inditum non ſit. Factum fuit hoc Statutum Anno á Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quinto. Decimaquarta die menſis Ianuarij, vt exactis Capellæ apparet.